DE ROSARIO B. M. VIRGINIS

P. LUDOVICUS I. FANFANI O. P.

De Rosario B. M. Virginis

HISTORIA - LEGISLATIO - EXERCITIA

Manuale practicum Directoribus Confraternitatum ipsisque SS. Rosarii sodalibus maxime utile et accommodatum.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TAURINI - ROMAE
Ex Officina Libraria MARIETTI a. 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sedis Apostolicae, S. RR. Congr.
et Archiep. Taurinensis Typographi.

MCMXXX

Nos infrascripti attente perlegimus opus cui titulus: « *De Rosario B. M. Virginis* », ab Adm. R. P. Lect. fr. Ludovico Iosepho Fanfani, Provinciali Romano Ord. nostri conscriptum, et dignum iudicamus quod in lucem edatur.

Romae, 19 Aprilis 1930.

Fr. Antoninus Silli, O. P., *S. Theol. Lector.*
Fr. Humbertus Degli Innocenti, *S. Theol. Lector.*

Imprimi licet.

Romae, die 28 Aprilis 1930.

Fr. Ant. Lemonnyer, O. P.
Vic. Gen. Mag. Ord.

Nihil obstat.

Augustae Taurinorum, 6 Augusti 1930.

P. Ceslaus Pera, O. P.
Censor Deleg.

Imprimatur.

Can. ALOYSIUS BENNA, *Vic. Cap.*

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (25-IX-30).

PARENTIBUS MEIS

UT MYSTICA ROSARUM CORONA

QUAM IN TERRIS INNEXUERE

SIT IAM EFFECTA CORONA GLORIAE

DICATUM

Au. 5457

LECTORIBUS

Ex quo sacrum ministerium inter Fideles exercendum assumpsi, illico animadverti SS. Rosarii devotionem, licet ab omnibus dilectam et ubique locorum adhibitam, eam tamen non esse semper bene notam, in iis potissimum quae ad eiusdem historicam evolutionem et legislationem referuntur, defectu praesertim alicuius libri, in quo clare et succincte, complete tamen, omnia quae ad Rosarium B. M. V. referuntur exposita sint, quique de facili a Directoribus Confraternitatum et acquiri et consuli possit.

Sunt utique libelli quam plurimi, sive in lingua latina sive in vulgari eloquio, qui de hac saluberrima devotione agunt; sed vel partialiter tantum et nimis succincte, vel tantum ad devotionem popularem excitandam, sine respectu ad partem historicam atque iuridicam, quae hanc pulcherrimam devotionem comitantur; exceptis utique antiquis operibus, et etiam excepto percelebri opere in lingua germanica ab Adm. R. P. Esser O. P. (postea Excellentissimo Episcopo) publicato et in linguam gallicam verso anno 1894.

Omnia breviter colligere quae ad pleniorem huius devotionis cognitionem quoad eius historiam, legislatio-

nem et exercitium conferre valeant, en mens nostra in hoc manuali componendo: quod prima vice italice editum, nunc revisum et ampliatum latine prodit in commodum praesertim Directorum Confraternitatum SS. Rosarii per totum mundum diffusarum.

Si quod punctum retuli, sicut si qui fructus splendidioris cultus erga Reginam Sacratissimi Rosarii consecuturi sunt, ipsius Deiparae Virginis laudi et honori tribuatur, utpote auxiliatrici nostrae precibus piisque affectibus invocatae.

Romae, in conventu S. Mariae supra Minervam; in Festo Annunciationis B. M. Virginis, (25 martii) anni 1930.

Fr. Ludovicus I. Fanfani, O. P.

INDEX CAPITULORUM

	pag.
Dedicatio	vii
Lectoribus	ix
Caput I. — *Quid sit Sanctissimum Rosarium* . .	1
§ I. De natura et partibus essentialibus Sanctissimi Rosarii	1
§ II. De Mysteriis	4
§ III. De orationibus vocalibus	8
§ IV. De nominibus Rosarii	15
§ V. De Rosarii historia et origine . . .	20
§ VI. De Rosario Dominicanorum Ordini concredito	29
Caput II. — *De Rosarii recitatione*	33
§ I. Conditiones ad bene recitandum Rosarium .	33
§ II. De Rosario in communi recitando . . .	40
Caput III. — *De Confraternitate SS.mi Rosarii* . .	44
§ I. Quid sit Confraternitas SS.mi Rosarii .	44
§ II. De erectione Confraternitatis . . .	48
§ III. De Adscriptis ad Confraternitatem . .	58
§ IV. De privilegiis et beneficiis Confratrum .	64
§ V. De obligationibus Confratrum . . .	67
§ VI. De Directore Confraternitatis . . .	73
§ VII. De Consilio directivo seu de administratione Confraternitatis	80
§ VIII. De Sacello, Altari et Tabula (picta) Confraternitatis	84
§ IX. De Processione et Conventu mensili . .	89

pag.

CAPUT IV. — *De Devotionibus annexis* 94

§ I. De Rosario Perpetuo 94
§ II. De Rosario Viventi 105
§ III. De Quindecim Sabbatis 112
§ IV. De Festo SS.mi Rosarii deque Mense Octobri 120
§ V. De Missa privilegiata SS.mi Rosarii . . 128
§ VI. De Corona benedicta 132
§ VII. De Rosis et Candelis benedicendis in honorem SS.mi Rosarii 142

CAPUT V. — *De Indulgentiis* 148

§ I. De Indulgentiis in genere 148
§ II. De Indulgentiis SS.mi Rosarii deque conditionibus ad earumdem acquisitionem . . 154
§ III. Index generalis Indulgentiarum SS.mi Rosarii 164

CAPUT VI. — *Formulare Benedictionum* 187

I. Ad erigendam Confraternitatem . . . 187
II. Ad fideles in Confraternitatem sollemniter recipiendos 190
III. Ad benedicendas Coronas Rosarii . . . 192
IV. Ad benedicendas Rosas 193
V. Ad benedicendas Candelas Rosarii . . 194
VI. Pro Benedictione in articulo mortis . . 195

Constitutio Apostolica Leonis P. XIII de legibus, iuribus ac privilegiis Sodalitatis a SS.mo Rosario 198

Index Alphabeticus rerum notabilium 209

DE ROSARIO B. M. VIRGINIS

CAPUT I.

Quid sit Sanctissimum Rosarium.

§ I. — *De natura et partibus essentialibus Sanctissimi Rosarii.*

1. — Rosarium sive **Psalterium** B. Mariae Virginis, est « sacra quaedam formula precandi Deum in honorem Beatae Mariae, qua per quindecim Salutationis Angelicae decades, interiecta singulis Oratione Dominica, quindecim praecipua Redemptionis humanae Mysteria piis meditationibus percensentur » (1).

Utile perquam est ad hanc definitionem, ab ipsa Ecclesia in Festo Sacratissimi Rosarii traditam, animum intendere, cum huius devotionis indolem optime patefaciat: quae in eo consistit, ut orationi mentali vocalem apte commisceat, partes insuper essentiales assignet, nimirum *Mysteria*, *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam*. Sine Mysteriorum meditatione, etsi quamplurimae Orationes Dominicae et Salutationes Angelicae recitentur, non habetur Rosarium; sicut nec sine determinato numero Orationum Dominicarum et Salutationum, quantumvis Mysteria mediteris. « Quemadmodum, ait

(1) Cfr. *Breviarium Rom. Officium Sacratissimi Rosarii B. M. V.* lect. IV. — S. Pii V Constit.: « *Consueverunt Romani Pontifices* », 17 Sept. 1569.

quidam scriptor (1), corpus et anima se uniendo viventem hominem constituunt, ita quod constituit viventem et vivificantem Rosarii orationem est unio affectivae meditationis cum precibus vocalibus. Non quod oratio vocalis, cum bene fit, non sit ipsa sola bona oratio; sed essentiam Rosarii non constituit. Preces vocales sunt in Rosario veluti materia, cui sola Mysteriorum meditatio formam et notam propriam imprimere valet ». Et clarissimus Miechoviensis addit: « Quod cor viventi, hoc meditatio Mysteriorum Redemptionis nostrae est Rosario: illud si auferas, vitam ademisti; meditationem Mysteriorum a Rosario tolle, illud sustulisti. Quod condimenta cibis, quod gemma anulo, quod horto flores, pascuis flumen, vallibus torrentes, hoc meditationes sunt Rosario; ex illis enim Rosarium ornatum decorem fructumque capit. Quod sol diei, luna noctibus, navigantibus stellae, hoc meditationes sunt Rosario » (2). Sola frequentatio eaque assidua huius orationis, quae iure merito *Evangelii compendium* appellatur, ostendere potest quantâ sit sapientia modi huius peculiaris Deum deprecandi; et quam « admirabile sertum ex angelico praeconio consertum, interiecta Oratione Dominica, cum meditationis officio coniunctum, supplicandi genus praestantissimum sit et ad immortalis praesertim vitae adeptionem maxime frugiferum; quippe praeter ipsam excellentiam precum, exhibeat et idoneum fidei praesidium et insigne specimen virtutis per mysteria ad contemplandum proposita; rem esse praeterea usu facilem et populi

(1) Cfr. P. Esser, O. P., *Le Rosaire de la très S. Vierge*, chap. I, Paris 1894.

(2) Miechoviensis, *Discursus praedicabilis super Litanias Lauretan.*, Disc. 334, n. 1. Edit. Neapolitana, 1852.

ingenio accommodatam, cui ex commentatione Nazarethanae Familiae offeratur domesticae societatis omnino perfecta species: eius idcirco virtutem christianum populum numquam non expertum fuisse saluberrimam » (1).

2. — In definitione superius tradita sicut et in aliis circa Rosarium documentis, nulla fit mentio de *Gloria Patri;* hinc deducitur *Gloria Patri* non esse partem essentialem in recitatione sanctissimi Rosarii; ideoque singulae decades posse ad libitum concludi vel per *Gloria Patri*, vel per *Requiem* si in suffragium defunctorum Rosarium recitetur, sine ullo Indulgentiarum praeiudicio (2). Consuetudo tamen adiiciendi singulis decadibus doxologiam *Gloria Patri* pulchre coronat Orationem Dominicam et Angelicam Salutationem: sic enim et conformamur antiquissimae praxi Ecclesiae adiungendi *Gloria Patri* in fine cuiusque Psalmi; et hymnum concinimus sanctissimae Trinitati, a qua dimanavit, ut ab indeficiente fonte, gratiarum cumulus qui per Mariam in mundo diffusus est. Anima contemplans, per *Gloria Patri* quasi per aureum quemdam filum vincit, ut ita dicam, rosas mysticae coronae, quam Mariae nectit, et psalterio decem chordarum cantat gloriam Dei (3).

(1) Leo XIII, Encycl. « *Diuturni temporis* », 5 Sept. 1898.

(2) Certo constat ipsum Summum Pontificem f. r. Pium IX Rosarium pro Defunctis non *Gloria Patri* sed *Requiem* conclusisse. Cfr. *Il Rosario, Memorie Domenicane,* anno XX, p. 87 et ss., ubi ostenditur consuetudinem recitandi *Requiem* pro *Gloria,* esse licitissimam, quin opus sit ut *Gloria* simul et *Requiem* recitentur, sicut quidam contendebant.

(3) Del Corona, O. P. *Le Rose di Maria,* § XIII. — Retinendum est *Gloria Patri* esse apostolicae institutionis et iam tunc apud fideles in usu fuisse. In Concilio Nicaeno adiuncta sunt verba: *sicut erat in principio* etc. contra Arium, qui negabat Verbi Dei consubstantialitatem. Pariter antiquissimus est usus adiungendi *Gloria Patri* in fine Psalmorum (Cfr. Benedictus XIV, *Feste Cristiane,* lib. I, c. XII).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3. — Quae de *Gloria* diximus applicanda sunt etiam omnibus aliis precibus quae recitationi Rosarii aut praemitti aut apponi solent: puta *Salve Regina*, qua communiter in Italia, praesertim apud Dominicanos, Rosarium incipit; *Iaculatoriae preces* post singulas decades iterandae; *Litaniae Lauretanae* quae Rosarium claudere solent. Haec omnia laudanda certe sunt, utpote quae et sensum christianum redolent et sacras indulgentias annexas habent; sed nullo modo ad essentiam Rosarii pertinent.

Partes essentiales in Rosario Mariano non sunt nisi tres, scilicet: *Mysteria*, *Orationes Dominicae* et *Salutationes Angelicae*, quae, ut ita dicam, naturam intimam Rosarii constituunt; aliae consuetae preces addi quidem possunt tum ante, tum post, tum infra ipsam Mysteriorum enuntiationem; sed, etsi omittantur, Rosarium in sua nativa et essentiali integritate manet: sunt veluti partes *liberae* seu *variabiles*, secundum morem cuiusque regionis. Quod est bene notandum, pro recta applicatione, in casu, can. 934, § 2, ubi declaratur quod « indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem ». Intelligendum est enim de additionibus vel subtractionibus vel interpolationibus quae non sunt in usu; minime de iis quae, annuente ipsa Ecclesia, tamquam partes *variabiles* seu *liberae* alicuius precis a fidelibus habentur.

§ II. — *De Mysteriis.*

4. — *Mysteria Rosarii* vocantur quaedam evangelicae narrationis fragmenta, quae referuntur ad praecipua facta vitae Iesu et Mariae. Sunt facta

historica, quae in Palaestina, ubi abhinc iam viginti saeculis Redemptio nostra facta et consummata est, contigerunt; sed *Mysteria* appellantur, hoc est res secretae et arcanae, eo quod sub historiae velamine veritates continent nostrae rationi impervias, uti, exempli gratia, Dei Incarnationem et Virginis Maternitatem, quae creati intellectus captum omnino excedunt, et nonnisi revelationis ope nobis innotescunt.

Mysteria Sacratissimi Rosarii quindecim recensentur, videlicet: 1. Annuntiatio B. M. Virginis; 2. Visitatio Elisabeth; 3. Nativitas Domini; 4. Purificatio B. Virginis; 5. Inventio Domini in Templo; 6. Agonia Domini in horto; 7. Flagellatio; 8. Coronatio spinarum; 9. Crucis baiulatio; 10. Crucifixio; 11. Resurrectio; 12. Ascensio; 13. Descensus Spiritus Sancti; 14. Assumptio B. Virginis in caelum; 15. Coronatio Beatae Mariae.

Mysteria haec, ad eorum substantiam quod attinet et ad ordinem logicum quo communiter enuntiantur, in recitatione sacratissimi Rosarii mutari nequeunt (1); dividuntur tamen in tres distinctas classes, quarum unaquaeque aliquid unum efficit. Priora quinque infantiam exhibent Iesu vitamque eius absconditam cum Maria et Ioseph putativo patre, et vocantur *Mysteria gaudii*. Alia quinque immediate sequentia continent Redemptionis opus, cuius non minima pars fuit Maria, et sunt *Mysteria dolorosa*. Postrema quinque narrant glorificationem Iesu et Mariae, ideoque appellantur *Mysteria gloriae*. Atque ita drama sacratissimi Rosarii secundum

(1) *S. Congr. Indulg.*, 13 Aug. 1726.

mysteriorum obiectum in tres partes seu potius actus divisum invenitur, quilibet autem actus in quinque scenas, quae sunt quinque Mysteria Gaudiosa, quinque Dolorosa, et quinque Gloriosa. Unaquaeque pars seorsim ab aliis recitari quidem potest, etiam inverso ordine, recitando scilicet prius Mysteria Dolorosa deinde Gaudiosa, aut prius Gloriosa deinde Dolorosa et Gaudiosa (1). Quaecumque Mysteriorum series meditetur, indulgentiae eaedem omnino manent: sane expresse determinatum est, Indulgentias non integro Rosario, sed semper *uni tertiae parti* ad libitum, nisi expresse contrarium dicatur, adnexas intelligendas esse (2).

Nihilominus, cum solum una tertia pars Rosarii cotidie recitatur, usus obtinuit recitandi die *Lunae* et die *Iovis* mysteria Gaudiosa; die *Martis* et die *Veneris* Dolorosa; die *Mercurii*, *Sabbato* et *Dominica* mysteria Gloriosa (3): usus pulcher admodum est, et retinendus, ut apud omnes Fideles uniformitas in recitatione, praesertim publica, SS.mi Rosarii servetur; quae si in omnibus orationibus, summopere in publicis commendanda est.

5. — Qui privatim Rosarium recitant non necesse est ut labiis Mysterium meditandum enuntient (4); cum autem Rosarium recitatur in communi hoc stricte requiritur et quidem intelligibilibus terminis. Equidem, qui cum aliis Rosarium recitat, meditari nequit nisi mysteria ab illo enuntiata, qui Directoris partes agit (5). Quare, si qui praeest, prae-

(1) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, n. 134.
(2) *Ibidem*, n. 125.
(3) *S. Congr. de Indulg.*, 7 Iul. 1893.
(4) *S. Congr. de Indulg.*, Iul. 1839.
(5) Cfr. *Rosario - Memorie Domenicane*, Anno II, pag. 191.

sertim cum Rosarium palam in ecclesia recitatur, non curat ut suae vocis sonus clare et distincte ad omnium aures perveniat, causa esse potest amissionis Indulgentiarum; tunc enim non Rosarium recitatur, sed mera Salutationum Angelicarum series.

6. — In Rosarii ergo recitatione meditatio mysteriorum numquam ab oratione vocali seiungi valet, quin ipsa Rosarii natura pereat. Neque tamen impossibile aut satis difficile esse mysteriorum meditationem cum vocalibus precibus amice consociare existimandum est: quinimmo usus rem sat facilem demonstrabit. Enuntiatur mysterium, puta primum gaudiosum: dum os preces vocales recitat, mens convertitur aut ad bonitatem Dei qui propter nos incarnatur; aut ad incomparabilem dignitatem Mariae matris Dei; aut ad consensum quem ipsa Angelo praebet se Domini ancillam declarans; aut denique ad gratitudinis debitum quo erga Dei Verbum incarnatum Matremque eius sanctissimam omnes obstringimur: et ex alterutra harum cogitationum certe excitabuntur in corde salutares affectus, quibus in divinarum contemplationum suavitatem nos transferemur. — Si cui tamen, in initio saltem, difficilius cedat per totam decadem mysteria mente pervolvere, non ideo ab huius salutaris devotionis frequentatione abstinere debet; eo magis quod ad sacras indulgentias lucrandas sufficit, pro meditatione, *amans respectus* in ipsa mysterii enuntiatione ante Dominicam Orationem cuiusque decadis, vel, si magis placet, decade absoluta (1). Immo S. Pontifex Benedictus XIII, idiotis, qui Mysteria meditari

(1) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii,* Vol. I, cap. VIII, n. 135.

plane nesciunt, easdem indulgentias concessit quibus ceteri fruuntur, dummodo conentur assuescere meditationi et initio cuiusque decadis Mysterium enuntient (1).

S. Hieronymus christianos hortabatur, ut flores in pratis hortisque Sacrarum Scripturarum legerent, et vehementer optabat ut alumnorum alumnarumque cadentes facies Pagina Sancta susciperet. Fideles, quibus non semper facile erit immortalia Scripturarum volumina adire et versare, Marianum adhibeant Psalterium, in quo nihil reperitur, sive de Mysteriis sive de vocalibus precibus sermo fiat, quod ex fundo Scripturarum Sacrarum non eruatur. Ineffabilia illa mysteria cotidie in memoriam revocata animos suavissima quadam unctione certo perfundent, qualem vox ipsius caelestis Matris efficeret, si nobiscum de divinis mysteriis deque via salutis colloqueretur. « Quare non id nimis affirmatum videbitur, concludit Summus Pontifex Leo XIII, quibus in locis et familiis et gentibus honorem pristinum marialis Rosarii consuetudo retineat, nullam ibi iacturam fidei ab ignorantia pestiferisque erroribus metuendam » (2).

§ III. — *De orationibus vocalibus.*

7. — Praeter meditationem Mysteriorum, ad essentiam Rosarii etiam pertinent quaedam preces vocales, scilicet *Oratio Dominica* et *Salutatio Angelica*, ut supra dictum est (Cfr. n. 1, pag. 1).

(1) Const. « *Pretiosus* », 26 Maii 1727, in *Bullario O. P.*, Vol. VI, p. 615 edit. Ripoll. Bremond, Rom. 1729-1740. — *S. C. de Indulg.*, 18 Ian. 1841.

(2) Encycl. « *Magnae Dei Matris* », 8 Sept. 1892.

Oratio Dominica vocatur a Tertulliano « *substantia et breviarium Evangelii* ». Nec nos immorabimur in persuadendo quam vere ista asseruerit summus ille Fidei nostrae Defensor, aut quantum divini celetur sub velamine simplicium verborum Dominicae Orationis. Hoc meminisse sufficiat, *Pater noster* esse orationem quam ipse Salvator noster Iesus Christus docuit discipulos cum ab Eo petierunt: « Magister, quomodo orare debemus? ». Quibus Dominus non tantum respondit: « Sic orare potestis », sed: « Sic orabitis: *Pater noster*, etc. » (1). Hinc *Pater noster* dicitur etiam *Oratio Dominica*, hoc est, *Oratio Domini*.

« In *Oratione Dominica* — inquit S. Thomas (2) — non solum petuntur omnia quae recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt...

« Manifestum est autem quod primo cadit in desiderio nostro finis, deinde ea quae sunt ad finem. Finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter: uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei; alio modo, secundum quod volumus frui gloria eius; quorum primum pertinet ad dilectionem qua Deum in seipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur: *Sanctificetur nomen tuum*, per quam petimus gloriam Dei; secunda vero ponitur: *Adveniat regnum tuum*, per quam petimus ad gloriam eius pervenire. Ad finem autem praedictum nos ordinat... *per se* quidem bonum quod est utile in finem. Est autem aliquid utile in finem beatitudinis... directe et principaliter, secundum meritum quo beatitudinem meremur Deo obediendo; et quantum ad hoc ponitur: *Fiat volun-*

(1) Luc. xi, 2.
(2) *Summa theol.* II-II, q. 83, art. 9.

tas tua, sicut in caelo et in terra. Alio modo instrumentaliter et quasi coadiuvans nos ad merendum; et ad hoc pertinet quod dicitur: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* sive hoc intelligatur de pane sacramentali, cuius quotidianus usus proficit homini, in quo etiam intelliguntur omnia alia Sacramenta; sive etiam intelligatur de pane corporali, ut per panem intelligatur omnis sufficientia victus... quia et Eucharistia est praecipuum Sacramentum et panis est praecipuus cibus; unde et in Evangelio Matthaei scriptum est: *supersubstantialem* (*panem*), idest *praecipuum*, ut Hieronymus exponit.

« *Per accidens* autem ordinamur in beatitudinem per remotionem prohibentis. Tria autem sunt quae nos a beatitudine prohibent. Primo quidem peccatum, quod directe excludit a regno... et ad hoc pertinet quod dicitur: *Dimitte nobis debita nostra.* Secundo tentatio, quae nos impedit ab observantia divinae voluntatis, et ad hoc pertinet quod dicitur: *Et ne nos inducas in tentationem;* per quod non petimus ut non tentemur, sed ut a tentatione non vincamur, quod est in tentationem induci. Tertio poenalitas praesens, ut quae impedit sufficientiam vitae, et quantum ad hoc dicitur: *Libera nos a malo* ».

Quae conceptuum altitudo, quae pulchritudo ordinis!

8. — Inde a primis Ecclesiae temporibus *Oratio Dominica* principalis pars fuit publici cultus, ideoque reperitur in omnibus liturgiis (1). Ipsa Missa initio

(1) Celebris est editio *Orationis Dominicae* in 150 linguis, impressa typis bodonianis Parmae a. 1806 (form. 43 × 18); celeberrima vero editio Congr. de Propaganda Fide (Romae 1870, form. 17 × 10) cui titulus: *Oratio Dominica in CCL linguas versa et CLXXX characterum formis vel nostratibus expressa*, curante Petro Marietti, etc.

constabat unice ex consecratione et Oratione Dominica. Usus autem uniendi Orationem Dominicam Angelicae Salutationi invaluit post saeculum millesimum; et, si Traditioni fidem adhibere velimus, S. Dominici temporibus, eiusque potissimum opera, hic usus in populis introductus et propagatus est. Sane in recitatione SS.mi Rosarii, a S. Patriarcha Dominico, ut videbimus, instituti (cfr. infra, n. 14 et seq.), Oratio Dominica praecedit, cuiusque decadis initio, recitationem Salutationum Angelicarum, ut aptissima quaedam supplicatio, quam per manus Beatissimae Virginis, a nobis dulci Dei Matris nomine pluries invocatae, Patri nostro deferimus qui in caelis est, ut tanta Mediatrice obtinere valeamus, quae nostris meritis numquam concederentur.

9. — Post Dominicam Orationem *Salutatio Angelica* subsequitur: quae nil aliud est quam, ut ipsum nomen sonat, salutatio Angeli ad Virginem plenam gratia et inter omnes mulieres benedictam propter fructum ventris eius; cui adiungitur deprecatio ut in vita et in morte suo nos favore prosequatur. Duabus partibus igitur constat. Prima pars salutationem continet Angeli Gabrielis a Deo missi ad Virginem, ut ei Incarnationis nuntium afferret: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (1); atque omen S. Elisabeth: *Benedictus fructus ventris tui* (2). Nomen *Iesus* adiunctum est a Papa Urbano IV, anno circiter 1262. Altera pars componitur ex invocatione ad B. Virginem: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, quam in Concilio Ephesino adiectam esse volunt; et ex ceteris

(1) Luc. I, 28.
(2) Luc. I, 42.

tenerrimis verbis *nunc et in hora mortis nostrae, amen*, quae fidelium pietas introduxisse videtur. Salutatio Angeli ad Mariam et verba S. Elisabeth leguntur iam inde ab anno 592 in Antiphonario S. Gregorii Magni; sed S. Pius V primus fuit, qui approbavit et inseri iussit in Breviario Romano *Salutationem Angelicam* ex integro, sicut hodie habetur (1).

Audiamus nunc aliqua saltem quae de Angelica Salutatione Sancti loquuti sunt: « Certe Virgo, inquit S. Bonaventura, libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum *Ave Maria* » (2). — S. Petrus Canisius de Salutatione Angelica disserens: « Placet, ait, hoc officium salutatae Virgini, quae procul dubio pie salutantes quodammodo resalutat » (3). — « Valde grata et accepta est SS.mae Virgini haec Angelica Salutatio — scribit S. Alphonsus — quia tunc ei renovari videtur gaudium quo est affecta cum a S. Gabriele comperit se esse electam Matrem Dei » (4). — Denique, ut alios complures omittamus, sic loquitur B. Alanus a Rupe: « Caelum gaudet, omnis terra stupet, Satan fugit, infernus contremiscit, mundus vilescit, cor in amore liquescit, torpor evanescit, caro marcescit; abscedit tristitia, venit nova laetitia; crescit devotio, oritur compunctio; spes proficit, augetur consolatio; recreatur

(1) In quibusdam regionibus mos est in recitando Rosario adiungendi verbo « *Iesus* » Salutationis Angelicae brevem enuntiationem mysterii meditandi: v. g. *Iesus, qui de Maria Virgine natus est.* Hic mos antea reprobatus, fuit postea probatus ab Ecclesia sine praeiudicio Indulgentiarum; nec solum pro iis locis in quibus iam vigebat, sed ubique (*S. Poenit.*, 22 Ian. 1921).

(2) *Speculum B. M. V.*, lect. IV.

(3) *De Maria Virgine incomparabili et Dei Genitrice Sacrosancta*, l. III, cap. II.

(4) *Le glorie di Maria:* Parte II, *De' vari ossequi verso la SS. Vergine.* Ossequio I.

animus et confortatur affectus cum dico: *Ave Maria* » (1).

10. — Si igitur tanta est pulchritudo et potentia Angelicae Salutationis, mirandum non est si hanc in Rosario iterum iterumque repetere debeamus, ad Angelorum instar, qui in caelis non cessant indesinenter dicere augustissimae Triadi: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens* (2). « Amanti semel aspexisse non sufficit » inquit Sanctus Gregorius; et nos adiungimus amanti non sufficere semel dixisse, quia « amor unum verbum habet, quod semper iteratum numquam repetitur » (3). Propterea nos qui amantes filii SS.mae Virginis esse debemus, singulis mysteriis decies Salutationem Angelicam iteramus, cantum caelestem in quo celebratur totus amor universi erga magnam illam Feminam, quae est mater et regina nostra. « Mysterium praecentio quaedam est, ut ita dicam; qua data, anima contemplans decem chordas sui Psalterii tractat, omnesque chordae unum eumdemque sonum reddunt: *Ave Maria* » (4).

11. — Hic autem, ut pauca addamus de exteriori forma seu dispositione qua partes SS.mi Rosarii mirabiliter inter se conseruntur, abs re non erit indigitare: Cur, etsi pulchrum et sublime sit pluries SS.mae Virgini Angelicam Salutationem repetere, cur, inquam, in recitando Rosario praecise centies et quinquagies iterari debeat? — Atque multae sunt

(1) *De Psalterio seu Rosario* etc., P. IV, Serm. 3, cap. XXX.
(2) Apoc. IV, 8; — Is., VI, 3.
(3) LACORDAIRE, *Vie de S. Dominique*, C. VI.
(4) DEL CORONA, O. P., *Le Rose di Maria*, § XI.

mysticae significationes, quas scriptores invenerunt de numeris SS. Rosarii.

S. Pius V in aliqua Bulla haec verba habet: «In Rosario seu Psalterio Beatae Mariae, eadem Beatissima Virgo Salutatione Angelica centies et quinquagies, *ad numerum Davidici Psalterii* repetita, veneratur» (1). Psalmi, a Spiritu Sancto dictati, sunt divini hymni et sacri cantus qui in Veteri Testamento canebantur in sacrificiis Numini oblatis. Hi psalmi, numero centum et quinquaginta, collecti habentur in aliquo S. Scripturae libro qui *Psalterium* nuncupatur; qua voce significatur non solum collectio seu liber Psalmorum, verum etiam instrumentum. Psalterium erat velut quaedam cithara decem chordarum, qua cantabantur a Iudaeis sacra cantica et praecipue Psalmi Davidici, qui praecise numero centum et quinquaginta in Sacra Scriptura V. T. numerantur, quique *Psalterium* ab instrumento quo canebantur sunt appellati. Quocirca ipse David in aliquo psalmo exclamat: *Deus canticum novum cantabo tibi; in psalterio decachordo psallam tibi* (2). Iam vero, Rosarium recitando, etiam nos canimus caelesti Reginae hymnum semper novum amoris nostri; nos etiam psalmos modulamur cithara decem chordarum iterando decies, velut per decem distinctas vibrationes, salutationem *Ave Maria*. Sicut ergo Psalterium Davidicum componitur ex 150 psalmis, divisis, ut notat S. Thomas, in tres quinquagenas, quae comprehendunt triplicem statum populi fidelis, poenitentiae scilicet, iustitiae et gloriae (3); sic etiam Rosarium compo-

(1) *Consueverunt*, 17 Sept. 1566; in *Bullar. Ord. Praed.*, v. V, 223.
(2) Psal. CXLIII, 9.
(3) *Prooemium in Psalmos.*

nitur ex 150 Salutationibus in tres coronas distinctis, poenitentiae, iustitiae et gloriae.

S. Carolus Borromaeus aliam significationem tribuit numeris Rosarii: « Quod ad eius divisionem spectat, ait, quinque *Pater noster* totidem Christi plagas referunt; decem *Ave Maria* totidem Dei praecepta; numerus vero quinquaginta *Ave Maria* solemnis illius Iubilaei annum, quo ex Scriptura peccatorum remissio adumbratur, nobis exhibet. Quicumque ergo praedicto orationum numero ad Christum Dominum habet orationem eiusque Matrem reveretur, hic a Deo intendit exposcere per Christi passionem eiusque Matris intercessionem et preces, ut integram omnium peccatorum remissionem obtineat, et gratiam qua tota mente divina eius praecepta valeat observare » (1).

Hae mysticae interpretationes haud paucis aliquam levitatem redolere fortasse videbuntur: attamen sunt cogitationes Sanctorum; nec frustra in laudem Dei scriptum est: « *omnia in mensura et numero et pondere disposuisti* » (2).

§ IV. — *De nominibus Rosarii.*

12. — Peculiaris modus deprecandi B. Virginem, quem iam in sua natura et singulis partibus descripsimus, quique nunc *Rosarium* apud omnes audit, non semper sub isto nomine agnitus fuit, aut saltem non hoc nomine tantum insignitus est. Iam a pristina aetate Rosarium nuncupatum est etiam *Psalterium Mariae*, sive quia centum et quinquaginta

(1) *Act. Eccl. Mediol.*, pag. 7, *Litt. Pastor.*

(2) Sap. XI, 21; — cfr. etiam P. SERTILLANGES, in *Rosario. Memorie Domenicane*, an. 1916, pag. 557.

Salutationes Angelicae respondent numero Psalmorum quibus constat Psalterium Davidicum, ut supra dictum est (1), sive quia fideles Rosarium adhibent loco illorum canticorum divinam poësim redolentium. Equidem Ecclesia Novi Testamenti Davidicos Psalmos sibi vindicavit et in Breviario inseruit; sed Breviarium penes sacerdotes fere unice remansit, nec incultis hominibus cantica illa immortalia pleno sensu affectuque legere aut canere facile fuit. Huic difficultati ipsa Beata Virgo *Rosario* supplevit, quod ex fundo divinarum Scripturarum depromptum, in mysteriis et precibus historiam doctrinamque Evangelii refert. Vocari posset *Breviarium laicorum*, cuius auctrix est ipsa Dei Mater, quodque ideo optimo iure nuncupatur *Psalterium Mariae.*

Rosarium etiam *Pater noster* dictum fuit (2); nec ea appellatio significatione carebat; nam cum nos in Oratione Dominica postulemus quae a Deo desiderari possunt, seu potius ea quae ab Illo expetere debemus, ideo quo facilius in recitando Rosario a Deo desiderata consequamur, post unamquamque Dominicam Orationem, meditamur unum ex praecipuis mysteriis nostri Redemptoris, omnis gratiae et benedictionis fontis, dum ore, Salutationibus Angelicis repetitis, auxilium Virginis imploramus.

Sed communius nomen quo Ecclesia ipsa id

(1) Cfr. num. praeced.

(2) Cfr. *Acta SS.*, die 30 Apr. l. II, c. 2, n. 134, tom. III, p. 886; — Polydorus Virgilius, *De inventoribus rerum*, l. 5, cap. 9: « Ceterum ut rationem cum Deo habere possemus, quoties ipsam Dominicam precem cum angelica Salutatione recitaremus, est modus orandi postremo inventus per calculos, ut ita dicam, ligneos quos vulgo modo *preculos* modo *Patres nostros* appellant. Ii numero quinquaginta quinque, ita ordine distinguuntur, ut post denos singuli maiusculi affigantur filo (sunt enim perforati); et quot hi sunt, toties dominicam precem, quot illi toties angelicam Salutationem, ter numerum ineundo, recitent, terque symbolum brevius inferant; et id Divae Mariae Virginis *Psalterium* nuncupant ».

genus orandi denominat, est *Rosarium*, hoc est hortus rosarum seu rosarum plantatio; reservato nomine *Coronae Beatae Mariae Virginis* tertiae Rosarii parti quae quinque decadibus coalescit (1).

Et in istis nominibus, *Rosario* scilicet et *Corona* Mariae, quae populorum fides adinvenit et saecula consecrarunt ad designandum illum specialem modum deprecandi B. Virginem quem supra descripsimus, iuvat paulisper immorari, ut eorum symbolismus nos intimius devotionem SS.mi Rosarii penetrare faciat, eiusque fortiorem amorem cordibus nostris infigat.

13. — Verbum *Rosarium* illico nos inter flores et rosas transfert, atque in mentem revocat symbolismum medii aevi, quando homines, sensu christiano praediti, rerum naturae diligentissime studentes, has nullo modo considerare poterant ceu corpus sine vita, quinimmo mysteriosas quaerebant relationes cum officiis et opinionibus hominis a Deo redempti. « Flores praesertim — scribit Montalembert (2) — exhibebant iis venustissimas imagines mutumque sermonem quo tenerissimos et vivissimos sensus exprimerent. Rudes et docti amice consociabantur ut istis suae cotidianae attentionis obiectis nomina inderent illorum virorum quos

(1) Haec distinctio inter *Rosarium integrum* et *tertiam Rosarii partem* remanet plus minusve in omnibus linguis. In lingua gallica plusquam in aliis hoc animadverti potest: nam quinque decades appellant *Chapelet*, et Rosarium integrum *Rosaire*. Antiquitus mos erat etiam vocandi *Psalterium* B. Virginis Rosarium integrum et *Rosarium* tertiam partem. Cfr. Alberto de Castillo, qui in opere *Il Rosario della Gloriosa V. M. intitolato: Esercizio Spirituale dei buoni Cristiani*, (Venetiis 1569) refert quod in statutis Confraternitatis bononiensis a P. Iacobo Sprenger erectae, legitur: *Omnes quindecim Dominicae orationes et centum quinquaginta Salutationes vocantur Psalterium; et una ex tribus partibus h. e. quinque Dominicae orationes et quinquaginta Salutationes vocatur Rosarium B. M. V.*

(2) *Histoire de S. Elisabeth*, Introduction.

prae ceteris diligebant; nomina Apostolorum, Sanctorum quibus magis delectabantur, Sanctarum denique quarum innocentia et puritas in intacta florum pulchritudine reflecti videbantur. Sed Maria potissimum, flos iste florum, haec rosa sine spinis, hoc lilium sine macula (1), possidebat innumeros flores, quos eius dulce nomen multo pulchriores carioresque populo reddebat. Unaquaeque pars vestimentorum quae in terris ipsa gessit repraesentabatur flore aliquo ceteris pretiosiore, sicque habebantur totidem veluti reliquiae ubique diffusae et continenter renovatae ». Iam a saeculo VIII Sanctus Ioannes Damascenus scripserat illa verba, postea ab Ecclesia in sua Liturgia introducta: « Sicut spina rosam genuit Iudaea Mariam » (2). Et S. Bernardus in sermone quodam de B. Virgine hanc habet antithesim: « Heva spina fuit, Maria rosa exstitit. Heva spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo. Heva spina infligens omnibus mortem; Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem » (3).

Quae cogitationes et verba eruuntur ex illo Ecclesiastici loco: « Quasi cedrus exaltata sum in Libano et quasi cypressus in monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades et quasi plantatio rosae in Iericho » (4); quem ipsa Ecclesia et Patres aptant communiter Beatissimae Virgini. Unde appellatio *Rosa mystica*, quae cantatur in Litaniis lauretanis et applicatur Beatae Virgini, ab omni retro antiqui-

(1) *Castitatis lilium, rosa sine spina, flos florum,* sunt expressiones Ecclesiae quas millies iterabant poëtae omnium regionum saeculis XII et XIII (Cfr. RAGAY, *Hymnarium quot. B. M. V. ex hymnis medii aevi*, pagg. 12, 33, 218 et alibi). *O vaga mia rosa,* ait S. ALPHONSUS DE LIGORIO in suis *Canzoncine in onore della B. V. Maria.*

(2) Cfr. *Breviarium Dom.*, in comm. B. M. V., resp. VI.

(3) *Sermo de B. Maria* (Cfr. *Brev. Rom.*, in Solemn. SS. Rosarii B. M. V.).

(4) Eccli. XXIV, 17 et 18.

tate repetenda est et communissima fuit in medio aevo. Ipse Poëta Alighierius canit:

> Eccur formosum te non convertis ad hortum,
> Qui sub Christi radiis floribus induitur?
> Hic *rosa* adest in qua assumpsit mortalia membra
> Divinum Verbum... (1).

Pictores itali, imo pictores omnium nationum valde delectabantur in depingenda Virgine inter rosas vel in horto rosarum.

Philippus Lippi, inter alios, in sua tabula, quam vocant *La Madre Pia*, Beatam Virginem adorantem divinum Infantem expressit, circa quam stant quattuor Angeli et parvulus Ioannes Baptista, dum alius Angelus rosas et flores super Infantem effundit: totaque scena perficitur aliquo marmoreo cancello — *hortus conclusus* — post quem extenditur magnificus hortus, rosarum plenus et florum. Botticelli etiam habet *La Madonna delle Rose*.

Si ergo Maria est *Rosa mystica* Christianismi, mirandum non est illos electos flores sacratissimi Rosarii qui sunt *Mysteria*, *Orationes Dominicae* et *Angelicae Salutationes*, accepisse nomen *Rosarum*, et totum compositum *Rosarium* appellari. Cornelius a Lapide in illum Ecclesiastici locum: *quasi plantatio rosae in Iericho*, scribit: « Rosa B. Virginis venustatem, dignitatis item et gratiae suaveolentiam, cum puritate vitae, caritatis ardore morumque suavitate coniunctam nobis exhibet... Atque hac de causa B. Virginem quasi rosam caelestem fideles rosario sive corona, centies et quinquaginta iterando Salu-

(1) « Che tu non ti rivolgi al bel giardino
Che sotto i raggi di Cristo s'infiora?
Quivi è la *rosa*, in che il Verbo divino
Carne si fece... ».
(*Parad.* XXIII, 71-74).

tationem Angelicam honorant » (1). Et in alium Ecclesiastici locum: *obaudite me, divini fructus, et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate*, idem A Lapide inquit: « Totus hic locus apposite accommodatur Rosario B. Virginis, utpote matris aeternae Sapientiae; quot enim Salutationes Angelicas, tot rosas mysticas annumeramus B. Virgini, iisque quasi corona eam ornamus; unde a rosis hisce nuncupatum est *Rosarium* » (2).

Sicut igitur in Apocalypsi legitur Mariam caeli Reginam stellis duodecim coronari, sic nos in terris eam ceu cordis nostri Reginam mystica Rosarii corona decoramus, adiecto titulo: *Regina Sacratissimi Rosarii;* spe bona freti et nos olim ab Ea coronatum iri, corona quam reddet nobis Dominus in illa die iustus iudex (3), et quae nobis afferet immarcescibilem gloriam (4). Atque hoc est praemium quod nobis sperare debemus, si throno B. Virginis saepe et cum pietate odoratas coronas *Salutationum Angelicarum* innexuerimus, cum fervore Rosarium recitando. Mariae enim illa Sacrae Scripturae verba applicantur: « Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum » (5).

§ V. — *De Rosarii historia et origine.*

14. — Scriptum est Rosarium historiam non habere, nec eam, fortasse, umquam habiturum esse. Sane, sicut alia multa dona prae ceteris excellentia,

(1) In Eccli. XXIV, 18.
(2) In Eccli. XXXIX, 17
(3) II ad Tim. IV, 8.
(4) I Petr. V, 4.
(5) I Reg. II, 30.

quae Deus hominibus impertivit, sicut vita ipsa illius Feminae a cuius manibus Rosarium nobis donatum est, primitiva istius devotionis historia silentio et umbra obruitur (1). Praeter venerabilem traditionem, quae Rosarium a S. Patriarcha Dominico, inspirante Beatissima Virgine, repetit, nullum certum documentum ad nos usque pervenit ex quo indubitanter deduci possit tempus aliaque adiuncta in quibus Rosarium institutum sit. Ipsi primi S. Dominici biographi nec verbum habent de origine Rosarii; unde scriptores quidam (2) censuerunt aut Rosarium iam ante S. Dominicum extitisse, aut postea et institutum et promulgatum esse, opera praesertim cuiusdam sodalis Ordinis Praedicatorum, B. Alani scilicet a Rupe, qui exeunte saeculo XV floruit. Neque intentio nostra est quaestionem hanc historicam hic funditus prosequi; sed reverentes potius antiquissimam traditionem, quae plurium SS. Pontificum auctoritate confirmata est usque in praesentem diem, paucis verbis ea colligemus quae de origine Rosarii veteres narrationes nobis tradiderunt (3).

En ergo quomodo discipulus quidam B. Alani Rupensis, in aliquo sermone de Confraternitate Sacratissimi Rosarii, summatim veterem traditionem de institutione Rosarii exponit: Legimus, inquit, S. Dominicum, cum Albigensibus frustra initio praedicaret, quodam die cum SS. Virgine de ea re in oratione conquestum esse. Cui Illa: Ne mireris — respondit — quod in hunc usque diem tam exiguum tuorum laborum fructum perceperis; in

(1) Cfr. DRANE, *Vita di S. Domenico*, c. 10.

(2) Cfr. BOLLANDISTAS, *Vita S. Dominici*, die 4 augusti; P. DE FEIS, *Origine della istituzione del SS. Rosario*, Firenze, 1907.

(3) De origine Rosarii cfr. etiam num. 27.

sterili terra sevisti, nondum Divinae Gratiae rore perfusa. Cum Deus terrae faciem renovare voluit, immisit in eam fecundum imbrem Angelicae Salutationis; *praedica Psalterium meum* compositum ex 150 Salutationibus et 15 Orationibus Dominicis, et pingui messe laetaberis. Incepit inde Dei famulus hanc devotionem populo praedicare et quamplurimas animarum conversiones obtinuit (1).

Iam vero sciendum est quod temporibus S. Dominici (saeculis XII et XIII) grassabantur, praesertim in partibus australibus Galliae, haereses Valdensium et Albigensium, sed Albigensium acrius. Albigensium haeresis ex Manichaeismo orta, stupide infitiabatur Mysteria Christi; et triplici negatione, quasi nota quadam, a ceteris distinguebatur, unitatis scilicet Dei, libertatis humanae et sanctitatis matrimonii: praeterea, ad tantae impietatis sigillum, conabatur etiam detrahere de diademate Christi Matris Mariae, pulcherrimam eius capitis gemmam, virginitatem nempe et divinam maternitatem, ipsam Beatam Virginem turpissimis nominibus designando (2).

Cum S. Dominicus vitae suae apostolicae in Gallia meridionali initium fecit, contra huius sectae haereticos, qui numero et potentia quam maxime convaluerant, ei plurimum decertandum fuit in bonum Ecclesiae et salutem animarum: prius quidem una cum legatis Summi Pontificis, dein solus, per duodecim annos durissimum bellum contra Albigenses sustinendo. Sed heu! quam exigui fructus, qui nec labores tanti Viri aequabant nec meritum. Ignorantia ipsorum elementorum catholicae religionis prae-

(1) Mag. CORN. DE SNECKIS, Sermones XXI super Confr. *De Serto Rosaceo*, Serm. X.

(2) Cfr. P. ESSER O. P., *Le Rosaire* etc., c. V, n. 6 notam.

cipua causa erat tantorum malorum; neque conatus unius hominis, licet sancti, sufficere poterant ad revocandos populos ad tramitem religionis christianae. Tunc demum S. Dominicus, in ea animi deiectione et urgente necessitate tot animarum saluti consulendi, cogitavit de aliis sociis sibi adiungendis, qui lucrandarum animarum eodem zelo succensi se totos devoverent ad evangelizandos illos populos haeresi infectos, divinique verbi ministerio, sicut ipse, impigre insisterent. Haec prima idea fuit primumque germen Ordinis, quem postea condidit S. Dominicus sub nomine Fratrum Praedicatorum. Interea tamen studebat S. Dominicus quodnam esset facilius aptiusque medium ad fidem inter illas gentes reducendam; quinam efficacior simpliciorque modus quo eas in rebus religionis erudiret. Si populi isti legere, saltem pro magna parte, scivissent, potuisset ille catechismum conficere, ubi veritates fidei clare et simpliciter exponerentur; sed ea aetate qua admodum pauci scribere et legere valebant, ars imprimendi, quae hodie quarta potentia nuncupatur, etiam si extitisset parum certe profuisset. Age vero, si fidem adhibeamus S. Catharinae Senensi in eius *Dialogo* (1), S. Dominicus missus est a Deo in mundum, Virgine Maria intercedente, ut haereticos eradicaret. Quid igitur prohibet, quominus difficillimo eius missionis momento, ipsa Beata Virgo Dominico adfuerit opitulatura, et ad instruendos fideles quos ipse et debebat et cupiebat evangelizare, ei tradiderit pretiosum libellum, Rosarium nempe, omnibus legibilem et in quo mysteria aeternae salutis tanta perspicuitate et simplicitate exponuntur,

(1) *Dialogo della Divina Provvidenza*, trat. IV, c. 158.

ut quamvis ipsius divinitatis arcana concludat, omnium tamen captui sit accommodatissimus? Vere Deo dignum redigere ad formulam simplicissimam quam omnes, vel pueri, illico addiscere possint, totam religionis doctrinam; dignum quoque Maria, quae dum suggerit Rosarium S. Dominico ut aptissimum medium ad mysteria Filii in mente fidelium renovanda, honori quoque suo consulebat, praestans ut sui capitis pulcherrima aureola virginitatis et divinae maternitatis non obscuraretur. Et hic abs re non erit animadvertere Beatissimam Virginem nostris etiam diebus, quibus virginitatis eius flos venustissimus a multis, heu dolor! vituperatur, ad integritatem et virginitatem suam praedicandam, in specu Lapurdensi, sicut temporibus S. Dominici in specu prope Tolosam, inter rosas, manibusque Rosarium evolventem, apparuisse.

15. — Vult ergo traditio Rosarium a S. Dominico institutum fuisse inspirante Beata Virgine (1). Sic loquuntur lectiones Breviarii Dominicani in festo SS.mi Rosarii, et praecipue lectiones diei octavae, in quibus SS.ma Virgo appellatur explicite *Sacratissimi Rosarii Inventrix* et S. Dominicus *Promotor* seu potius *Primus* huius devotionis in populis *promulgator* (2). Huic assertioni concordant testimonia omnia Summorum Pontificum, qui semper S. Dominicum Marianas rosas primum in populos effu-

(1) Quomodo Rosarium temporibus S. Dominici recitatum fuerit, et quomodo explicari possit silentium primorum scriptorum eius vitae circa hanc devotionem, breviter dicemus cap. III, § 1, cum *de Confraternitate* erit sermo.

(2) Etiam MALVENDA, celebris rerum dominicanarum historicus, in suis *Annalibus Ord. Praed.* ad annum 1215, c. 19, p. 133, haec textualia verba de Rosario profert: « Sancta igitur Dei Genitrix inventrix, Sanctus Dominicus potius promulgator extitit ».

disse, fidemque per ipsum revixisse proclamaverunt. Unde Benedictus XIV, cum adhuc fidei promotor in Sacrorum Rituum Congregatione versaretur, in quodam voto de hac materia, hoc propemodum argumentum conficit (1): « Petitis, utrum S. Dominicus sit vere Rosarii institutor, vosque perplexos dubiisque implicatos ostenditis? Sed quanti facitis testimonia tot Summorum Pontificum, Leonis X, Pii V, Gregorii XIII, Xysti V, Clementis VIII, Alexandri VII, Innocentii XI, Clementis XI, Innocentii XIII, et aliorum, qui institutionem Rosarii unanimiter S. Dominico adiudicarunt, Praedicatorum Ordinis Fundatori, viro Apostolico ipsisque Apostolis conferendo, qui non sine Spiritus Sancti afflatu tam admirabilis ac caelestis plane inventi, nempe Rosarii, extitit cogitator, auctor, promulgator et clarissimus ubique terrarum christiani orbis praeco? ».

Pius IX etiam et Leo XIII, occasione data, semper hanc laudem S. Dominico attribuerunt. Quinimmo, operis pretium est celebris devotionis historiam resumere ipsissimis verbis Leonis XIII, in prima Encyclica de Rosario. « Nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quantum laboris et luctus, saeculo duodecimo exeunte, sanctae Dei Ecclesiae intulerint Albigenses haeretici, qui recentiorum Manichaeorum secta progeniti, australem Galliae plagam atque alias latini orbis regiones perniciosis erroribus repleverant; armorumque terrorem circumferentes, late dominari per clades et ruinas moliebantur. Contra huiusmodi teterrimos hostes virum sanctissimum, ut nostis, excitavit misericors Deus, inclytum scilicet Dominiciani Ordinis Parentem et Con-

(1) Cfr. *Analecta Iuris Pontificii*, Romae 1860, t. II, coll. 1379 et ss.

ditorem. Is integritate doctrinae, virtutum exemplis, muneris apostolici perfunctione magnus, pugnare pro Ecclesia catholica excelso animo aggressus est, non vi, non armis, sed ea maxime precatione confisus, quam sacri Rosarii nomine *ipse primus* instituit, et per se, per suos alumnos longe lateque disseminavit. Dei enim instinctu ac munimine sentiebat futurum ut eius precationis ope, tamquam validissimo instrumento bellico, victi hostes profligatique vesanam impietatis audaciam deponere cogerentur. Quod reipsa evenisse compertum est. Etenim ea orandi ratione suscepta riteque celebrata ex institutione Dominici Patris, pietas, fides, concordia restitui, haereticorum molitiones atque artes disiici passim coepere: ad haec, plurimi errantes ad sanitatem revocati, et catholicorum armis, quae fuerant ad vim propulsandam sumpta, impiorum compressus furor » (1).

In memoriam huius miri fidei triumphi de haeresi reportati, et in perenne signum grati animi fidelium erga Beatam Virginem, cuius intercessioni acceptam victoriam referebant, depictae sunt duae tabulae, una Mureti in sacello S. Iacobi, altera vero Tolosae, ubi B. Virgo repraesentata fuit manu coronam tenens; Sanctus autem Dominicus et Simon de Montfort flexis genibus ad eius pedes. Gallica revolutione saeviente, duo haec pretiosa et antiquissima monumenta, quae primas Rosarii laudes concinebant eiusque originem testabantur, perierunt; memoria tamen in historia perstat (2).

(1) Encyclica « *Supremi Apostolatus* », 1 Sept. 1883.
(2) Cfr. P. Esser O. P., *Le Rosaire* etc., cap. 5, n. 9.

16. — Post aliquot a morte S. Dominici annos, celebris Rosarii devotio, quae ubique viguerat, sive propter teterrimas pestilentias, quae fere totam Europam sunt depopulatae, sive propter nefastum schisma occidentale quo tam diu Ecclesia scissione laboravit, sive aliis de causis, vix elapso saeculo ab eius institutione, paullatim excidere visa est. Non ita tamen ut eius memoria prorsus obliteraretur; imo in quibusdam regionibus, uti e. g. in Anglia, consuetudo Rosarii numquam intermissa est, sed vivax in populis perseveravit tam decimo tertio quam decimo quarto saeculo; cuius facti non pauca supersunt documenta (1). Paulo autem ante impiissimum Lutherum funestissimarum haeresum satorem, et paucis annis etiam ante detectionem regionum Americae, quae ad fidem Evangelii adducendae erant, Rosarium, opera potissimum Beati Alani a Rupe eximii concionatoris ex Ordine Praedicatorum, revixit et per totum terrarum orbem cito diffusum est. Tradunt Beatum Alanum ideo Rosarium indefesse propagandum suscepisse, quia ipsa Beata Virgo id ei revelavit imo et imposuit, simul pollicitans se innumeras gratias suae Coronae devotis esse concessuram, quas nos cognoscimus sub nomine *Quindecim Beatissimae Virginis promissionum* suo Rosario devotis (2). Item, memoriae pro-

(1) Cfr. DRANE, *Vita di S. Domenico*, c. X. — P. MORASSI O. P., *Il Rosario della SS. Vergine Maria*, c. II, § 1° in nota quadam.

(2) Quindecim promissiones quae passim in operibus B. Alani referuntur, hoc ordine colligi solent:

1. *Qui mihi constanter servierint Rosarium recitando, aliquam specialem gratiam accipient.*

2. *Omnibus meum Psalterium (Rosarium) devote recitantibus meam specialem protectionem promitto ac magnas gratias.*

3. *Rosarium erit armatura potentissima contra infernum, delebit vitia, peccatum dissipabit, haereses evertet.*

4. *Virtutes et opera sancta reflorescere faciet, copiosissimas misericordias*

ditum est eodem tempore, anno circiter 1470, Sanctissimam Virginem Patri Iacobo Sprenger, famulo Dei et Priori conventus Coloniensis Fratrum Praedicatorum, se conspicuam fecisse, eumque ad instaurandum sacrum ritum, quem per Beatum Dominicum suis devotis elargita fuerat, vehementer fuisse adhortatam (1).

Sic Mater Dei in memoriam filiorum S. Dominici devotionem Rosarii revocat, ipsisque iterum committit in populis divulgandam. Comprobarunt filii quod de Patre scriptum erat: *sparserunt rosas populosque commoverunt* (2).

Nec amplius ab eo tempore tam praecelsa et salutaris devotio excidit; sed prope liturgica effecta, a Summis Pontificibus commendata, atque a spiritu orationis christianarum gentium intellecta, primum semper locum inter preces sive propter prae-

a Deo animabus impetrabit; corda hominum a vano amore mundi ad amorem Dei alliciet eaque ad rerum aeternarum desiderium eriget. Oh! quot animae hoc medio sanctificabuntur.

5. *Anima quae mihi se Rosario commendat, non peribit.*

6. *Quicumque Rosarium devote recitaverit cum mysteriorum consideratione, non opprimetur calamitatibus, iram Dei non experietur, non peribit subita morte, sed convertetur si peccator; si vero iustus, in gratia perseverabit et vita aeterna dignabitur.*

7. *Veri meo Rosario devoti non morientur sine Sacramentis.*

8. *Volo ut meum Rosarium recitantes, in vita et in morte habeant lumen et plenitudinem gratiarum; in vita et in morte merita Beatorum participent.*

9. *Quotidie e Purgatorio libero animas meo Rosario devotas.*

10. *Veri filii mei Rosarii magna gloria fruentur in caelo.*

11. *Quidquid Rosario petieris, impetrabis.*

12. *Meum Rosarium propaganibus in omni necessitate succurram.*

13. *A Filio meo obtinui ut adscripti Confraternitati mei Rosarii, possint in vita et in morte Caelites omnes habere confratres.*

14. *Meum Rosarium recitantes sunt filii mei et fratres Iesu Christi, mei unigeniti.*

15. *Devotio erga meum Rosarium est magnum praedestinationis signum.*

De istis *promissionibus*, videsis « *Il Rosario. - Memorie Domenicane* », a. 1895, p. 509.

(1) Breviarium Dominicanum, *in octava SS.mi Rosarii*, l. V.

(2) De Corona, O. P., *Le rose di Maria*, § V.

stantiam sive propter popularitatem obtinuit. Filii S. Dominici, quibus haec specialis missio Rosarii propagandi velut pretiosa quaedam haereditas contigit, semper adlaborarunt et adlaborant ut nostris quoque diebus christiana devotio, Marianis rosis odorata, magis ac magis convalescat.

Leo XIII fel. rec. pluries, per eius diuturnum pontificatum, fidelibus indicavit Coronam B. Virginis ut anchoram salutis tot inter pericula quibus circumvenimur; voluit etiam revisere et ex novo ordinare totam legislationem qua reguntur Rosarii Confraternitates (1) et acquisitio Indulgentiarum (2); hoc modo demonstrans haud parvi esse momenti ut nos arte uniti circa thronum Reginae SS. Rosarii consistamus. Christiana plebs paternis hisce invitationibus impigre respondit; et etiam in multitudine aliarum devotionum, Rosarium devotio princeps in praxi et aestimatione Fidelium remansit. Utinam duo illa Rosarii Sanctuaria, *Lourdes* et *Pompei*, ultimis hisce annis erecta et meta perennium peregrinationum, velut novam in dies splendidiorem aetatem auspicentur triumphorum Mysticarum Rosarum B. V. Mariae!

§ VI. — *De Rosario Dominicanorum Ordini concredito.*

17. — A S. Dominico institutum, ut vidimus, Rosarium nimirum ad eius filios transiit ut legitima haereditas, ut paternum legatum, ut bonum familiare post obitum patris debitum. Et, o pretiosam haere-

(1) Cfr. celebrem Constitutionem «*Ubi primum*», 2 Oct. 1898.

(2) Cfr. *Index Indulgentiarum SS.mi Rosarii* (S. Congr. de Indulgentiis, 29 Aug. 1899).

ditatem! Etenim Rosarium ita connectitur cum ipsa eorum apostolatus fecunditate, ut dum hic flos flaccescere coepit (saeculo XIV) decus etiam splendorque Ordinis evanuere; et cum Filiorum S. Dominici opera in novam vitam egressus est, denuo super ipsos totumque Ordinem rorem caelestem attraxit (1).

Inclitus Patriarcha Dominicus quam diligentissime curavit ut alte in cordibus filiorum suorum imprimeretur speciale studium erga cultum Beatae Virginis; ipsae Ordinis regulae ad hoc eos astringunt, quod attinet potissimum ad « saluberrimam Sacratissimi Rosarii devotionem eis a Beato Patre Dominico *haereditario iure* transmissam » (2). Et ipsi *Fratres Mariae*, ut communi populorum voce olim designabantur, semper eo amore honorem Beatissimae Virginis, sub titulo praesertim Reginae Sacratissimi Rosarii, prosequuti sunt, ut « vix verbis exprimi possit quantum praedicatione et opera Fratrum Praedicatorum divina ista devotio in christiano populo fuerit ubique propagata, quot quantaeque in honorem Dei Genitricis sub Rosarii nomine fundatae sint societates » (3).

18. — Quando et quomodo Magistri Generales Ordinis Praedicatorum inceperint sibi reservare, seu potius, quandonam Summi Pontifices eis reservarunt facultatem erigendi Confraternitates et benedicendi Coronas Rosarii non certo constat. In Bullario Ordinis (4) exstat Bulla Iulii III, data die 24 Augusti 1551, ex qua coniicitur iam tunc Magistros Generales se sua auctoritate ingessisse in

(1) Cfr. *Litt. Circ. Magistri Generalis Monroy*, anno 1671.
(2) *Constitutiones Fratrum Praedicatorum*, n. 1064. Romae an. 1926.
(3) *Breviarium Dom.*, in Octava SS. Rosarii, lect. VI.
(4) Vol. V, pp. 17 et 18.

erectione Confraternitatum Rosarii, illarum quoque, quae extra ecclesias Ordinis erigebantur; et iam ab anno 1488 Magister Torriani concedebat fratri Nicolao Mantuano « ut inscriberet Confraternitati Rosarii Beatae Mariae Virginis quotquot voluissent » (1). Sed ante saeculum XVI desunt documenta certa, quae de hoc privilegio Magistris Generalibus Ordinis Dominicani concesso explicite loquantur. S. Pius V, Dominicanae Familiae illustre decus, primus fuit qui hoc privilegium solemniter recognoverit, et Constitutione « *Inter desiderabilia* », data die 29 Iunii 1569, explicite declaraverit nemini licere Rosarii Confraternitatem erigere nisi Magistro Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum et personis ab ipso delegatis. Ius hoc exclusionis Generali Magistro Praedicatorum a S. Pio V collatum, a variis Summis Pontificibus fuit postea confirmatum (2), usque ad Leonem XIII, qui in Constitutione « *Ubi primum* », paragrapho secundo, sic ait: « Sodalium Dominicanorum Ordo, qui, vel inde ab sui initio Beatae Virginis cultui maxime addictus, instituendae ac provehendae Sodalitatis a sacratissimo Rosario auctor fuit, omnia quae ad hoc genus religionis pertinent, veluti haereditario iure sibi vindicat. Uni igitur Magistro Generali ius esto instituendi Sodalitates sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subeat Vicarius eius generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis. Quamobrem quaevis Sodalitas

(1) Cfr. P. MORTIER, *Histoire des Maîtres Généraux de l'Ordre des Frères Prêcheurs*, Tom. IV, pag. 645.

(2) Cfr. Constitutiones « *Dum Ineffabilia* », 20 Ian. 1586 a Xysto V; « *Cum olim* », 20 Sept. 1608 a Paulo V; « *Nuper pro parte* », 31 Iul. 1679 ab Innocentio XI; « *Pretiosus* », 23 Mai. 1727 a Benedicto XIII; *Decretum* S. C. Indulgentiarum, 26 Aug. 1747 sub Benedicto XIV; et aliud *Decretum* eiusdem S. C. Indulg. 11 April. 1864 sub Pio IX.

in posterum instituenda nullis gaudeat beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem auxerunt, nisi diploma institutionis a Magistro Generali vel a memoratis Vicariis obtineat ». Sacra Congregatio de Indulgentiis, die 11 Aprilis 1864, iam decreverat, si quis Episcopus accipiat ab Apostolica Sede generalem facultatem erigendi in sua dioecesi omnes Sodalitates iisque indulgentias adnectendi ac si Romanis Sodalitatibus essent incorporatae aut erectae cum venia Moderatorum illorum Ordinum qui relativo privilegio gaudent, Sodalitatem Rosarii non comprehendi in *dicta generali facultate*, nisi privilegio Generalis Dominicanorum expresse derogetur (1). Non licet ergo, neque Episcopis, *Confraternitates* SS.mi Rosarii erigere sine explicita facultate Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum (2).

19. — Nec solum facultatem erigendi Sodalitates Rosarii, sed « omnia quae ad hoc genus religionis pertinent, (Ordo Dominicanorum) veluti haereditario iure sibi vindicat » (3). Quapropter etiam facultas *adscribendi Confraternitati*, facultas benedicendi *Coronas* cum applicatione Indulgentiarum Rosarii, facultas benedicendi *Candelas* et *Rosas* in honorem Reginae SS. Rosarii, Generali Praedicatorum Magistro reservantur, a quo unice via ordinaria obtineri possunt (4).

(1) *Decreta authentica etc.*, n. 405, p. 357. — Cfr. *Acta Sanctae Sedis, pro Societ. SS. Rosarii*, II, p. 105 et seqq.

(2) Sodalitates Rosarii sine praedictis patentibus litteris Generalis Dominicanorum erectae gaudere nequeunt privilegiis et indulgentiis propriis Confraternitatis Rosarii, neque ceteris Indulgentiis quae in communi concederentur omnibus Sodalitatibus sub quocumque titulo canonice erectis (*S. Congr. de Indulg.*, 10 Aug. 1899).

(3) Constit. « *Ubi primum* », l. c.

(4) *Rescriptum Pont.*, 31 Iul. 1906. — Cfr. *Analecta Ord. FF. Praedic.*, anno XIV, fasc. IV, pag. 593; cfr. etiam infra, nn. 38, 94, 106.

Si autem privilegium hoc valde pretiosum censendum est Dominicano Ordini, omnibus S. Dominici filiis sacrum officium quoque imponit sollicite custodiendi et indefesse propagandi, sicut semper factis praestiterunt, Sacratissimum Rosarium.

CAPUT II.

De Rosarii recitatione.

§ I. — *Conditiones ad bene recitandum Rosarium.*

20. — Rosarium unam esse ex praestantissimis devotionibus catholicis sat superque constat ex iis quae superiore capite disseruimus. At vero, eo ipso quod tam praestans devotio est, omnis cura est impendenda ut bene recitetur, ne in praxi huiusmodi praestantia, quae naturaliter ei convenit, perimatur; sed contra conservetur et in dies augeatur. Iuvat igitur pauca de modo bene recitandi sacratissimum Rosarium recolere, Ecclesia nobis duce, quae inter alia praecipue vult ut omnes orationes — Rosarium vero est oratio per excellentiam — fiant *digne*, *attente*, *devote* (1).

Digne. Primum autem quod requiritur ad Deum digne deprecandum est certe *status gratiae.* Deus enim amare non potest nisi quod Ei simile est; et Deo similis fit anima Eique maxime unitur per gratiam, quae est repercussio et participatio pulchritudinis increatae. Hinc tamen non sequitur illum qui propter peccatum gratia destituitur, non posse

(1) Vide orationem *Aperi Domine os meum etc.*, quae officio divino praemitti solet.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nec debere orare aut Rosarium recitare; quinimmo, utpote qui plus quam ceteri indiget, si non digne, certe valde convenienter confugiet Rosario ad Illam quae *refugium peccatorum* est, ut sibi in extrema necessitate subveniat, cum Rosarium semper illud Sapientiae comprobarit: *qui (me) usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei* (1). Sed carentia peccati non sufficit ad digne SS.mum Rosarium recitandum, oportet etiam quod recitetur corde docili et ab omni terrenarum rerum inordinata affectione expedito. Et ideo Ecclesia in Evangelio *Missae privilegiatae* SS.mi Rosarii nobis legendam exhibet parabolam seminantis, ut scilicet, cum in Rosario meditantur sacra verba et facta principaliora vitae Christi eiusque Sanctissimae Matris, reminiscamur Rosarium esse recitandum iisdem dispositionibus quibus et audiendum et accipiendum est verbum Dei, quod nullum fructum parit in cordibus dissipatis, indocilibus, terrenisque rebus implicatis, quemadmodum evenit de semine quod secus viam, aut in petrosa aut inter spinas cadit.

21. — Rosarium insuper recitari debet *attente*. Attentio est actus mentis quo homo ad ea quae agit applicatur. Iam vero, sine attentione nulla oratio valet coram Deo; non enim fieri potest, ait S. Gregorius, ut Deus illam orationem audiat, cui ille ipse qui orat non intendit (2). Quocirca etiam Rosarium, si volumus ut Deo eiusque sanctissimae Matri sit acceptum, recitandum nobis est mente sibi conscia atque ad id quod agitur attenta; eo vel magis quod Rosarium totum christiani cultus spiritum continet,

(1) Sap. VII, 14.
(2) Lib. 22 *Moral.* c. 13; — S. THOMAS, II-II, q. 83, a. 13.

cum orationem vocalem simul et mentalem importet. Et quia possibile non est diversis rebus simul mente vacare, optandum ut, dum Rosarium recitatur, intermittatur alia quaecumque occupatio, omni insuper cura negotiorum huius mundi seposita. Beata Virgo abunde remunerabit diligentiam a nobis adhibitam quo melius eam honoremus meliusque meditemur mysteria et exempla divini eius Filii. Rosarium recitare dum acu pingitur, dum consuitur aut quodcumque aliud, quamtumvis materiale, exsequitur, profecto non est modus optimus dicendi Coronam. Nihilominus, cum huiusmodi occupationes non tantam applicationem exigant, quae menti omnem aliam cogitationem interdicant, cumque in multis convictibus, laboratoriis et monasteriis invaluerit usus recitandi Rosarium dum operi seu labori incumbitur ne tempus ineptis sermonibus conteratur, hic modus se gerendi non est omnino damnandus. Imo res videtur approbata fuisse, indirecte saltem, a Summo Pontifice Pio IX, cum in communi Rosarium recitantibus concessit ad omnes Indulgentias lucrandas ut unus tantum manu coronam evolveret, ceteris cum illo unitis qui tunc vices Directoris quodammodo gerit (1).

22. — Denique Rosarium recitandum est *devote*. Devotio, ut ait S. Thomas, nil aliud est quam « specialis quidam actus voluntatis promptae et paratae ad facienda quaecumque ad Dei servitium et famulatum spectant » (2). Igitur ad Rosarium devote recitandum debemus imprimis omnem torporem et desidiam a nobis expellere, atque cum voluntate

(1) *S. Congr. de Indulg.*, 22 Ian. 1858.
(2) II-II, q. 82, a. 1 et 4.

prompta et *parata*, hoc est animo alacri et libenti, incipere, cum intentione honorandi Iesum et Mariam, tenere cum ipsis colloquendi auxiliumque impetrandi in omnibus necessitatibus.

Praeterea, cum Rosarium Mysteriorum meditatione schola sit christianae perfectionis, ubi peccatum quomodo fugiendum sit addiscitur et excellentissimae virtutes quomodo exercendae, recitandum est *devote* etiam eo sensu ut simus parati ad prompte facienda aut deserenda ea omnia quae nobis, Iesu et Mariae exemplo, amore odiove digna apparent. Et Maria, inquit Leo XIII, « quae tametsi nullam in se passa, debilitatem naturae nostrae vitiositatemque pernoscit, quaeque matrum omnium est optima et studiosissima, quam nobis opportune prolixeque subveniet, quanta et caritate reficiet et virtute firmabit! Per iter euntibus, divino Christi Sanguine et Mariae lacrimis consecratum, certus erit nobis nec difficilis exitus ad societatem quoque beatissimae eorum gloriae fruendam » (1).

Interiorique devotioni voluntatis necessario coniungenda est externa ipsa devotio, sine qua interior difficulter consistere potest. Necesse non est, fatemur, ut Rosarium dicatur semper in ecclesia aut flexis genibus, quia potest optime et utiliter etiam domi, in via, in itinere, sedendo vel deambulando recitari; imo, si necessitas postulat, in lecto quoque; sed semper recitandum est maxima corporis modestia, illa gravitate et reverentia, quae decent miserrimum hominem, qui cum Deo creatore et Paradisi Regina colloqui vult. Oh quantum in hac re devotio desideratur! Perperam agunt qui tanta

(1) Encycl. « *Magnae Dei Matris* », 8 Sept. 1892.

cum celeritate Rosarium recitant atque verba ita praecipitant, ut vix intelligi possint, si modo intelliguntur, ea quae mutiunt; itidem illi qui omni puncto temporis verbis et nugis interrumpunt, et qui aut iacentes recitant, aut ea corporis positione ut dormire potius quam Rosarium recitare videantur. Quid interim, quaerit pius quidam auctor, quid expectari potest a talibus Rosariis tam indevote recitatis? Nihil profecto boni, imo multum mali; quia omnis oratio, etiam non imperata, cum devotione facienda est, nisi velimus in nos iram Dei provocare (1).

23. — Sed aliud quoque medium ad bene recitandum SS. Rosarium indicare debemus, scilicet bene efformare intentiones nostras seu, ut quidam ait (2), recitare Rosarium cum *amplitudine caritatis*. Certum est enim, ut docet ipse D. Thomas (3), eamdem orationem quam pro nobis facimus, tanto magis Deo acceptam esse quo maiore flagrat caritate; ex alia autem parte, si qua est oratio quae Domino offerri valeat ad quotquot sanctos fines desiderare possumus, haec est procul dubio Rosarium. Sane, omnia in ordine Redemptionis suam vim accipiunt a Mysteriis quae in ipso meditamur; et omnia nos petimus, ut superius vidimus, in Oratione Dominica et Salutatione Angelica. Hinc, quo nostra Rosaria in dies utiliora reddantur et caritate vivificentur, possumus et debemus, nobis ipsis non neglectis, extendere quam latissime licet intentiones nostras, recitando nostras Coronas secundum Dei beneplacitum ad

(1) Morassi, O. P., *Il Rosario della Beatissima Vergine Maria*, Parte II, c. I.
(2) *Op. cit.*, Parte II, c. I.
(3) II-II, q. 83, a. 7.

eius maiorem gloriam, ad prosperitatem et exaltationem sanctae matris Ecclesiae, ad bonum proximorum nostrorum, qui nobis sunt fratres in Christo. Duae autem semper fuerunt speciales intentiones rosariantium: peccatores et animae in Purgatorio detentae.

Peccatores, cum gratiae sint expertes, versantur in statu perditionis, in quo maligni spiritus omnem vim conferunt ut confirmentur, sicque ad aeterna supplicia deducantur. Atqui pro ipsis etiam Dominus de caelo descendit, passus est et in cruce mortuus; cum igitur vel una anima perit, perit pars fructus ipsius redemptionis. Itaque orare pro peccatoribus est cooperari cum Christo redemptioni animarum. Et in hoc quam efficax est SS. Rosarium! Narratur in vita S. Vincentii Ferrerii, quod cum vocatus fuisset ad infirmum moriturum, qui converti totis viribus retractabat, rogavit qui aderant ut secum pro infelicissimo homine Rosarium recitarent; quo nondum persoluto, iam gratia Dei vicerat. Hinc forte factum est, ait quidam scriptor, ut in quibusdam locis, praesertim in Sabaudia, cum quis graviter aegrotans non vult recipere Sacramenta, aliquae piae personae simul congregentur ad recitandum Rosarium (1).

Quod autem Rosarium sit, post sacrosanctum Missae sacrificium, modus optimus iuvandi animas in Purgatorio detentas, colligi potest ex ipsa huiusce devotionis praestantia, nec non ex annexo Indulgentiarum cumulo, quae ex benigna Summorum Pontificum concessione, defunctis semper applicari possunt. « Si cupimus, inquit S. Alphonsus, animabus

(1) Morassi O. P., *op. c.*, Parte II, c. I.

in Purgatorio subvenire, applicemus eis Rosarium quod ipsis magnum solatium affert » (1); et Beato Ioanni Massias, fratri Converso ex Ordine Praedicatorum, revelatum fuisse traditur se ingentem animarum multitudinem ex piacularibus flammis liberasse cotidiana multorum Rosariorum recitatione. Perbene igitur Rosarium applicatur defunctis, ut medio tam facili dolentibus illis animabus succurratur, quae sperant et fortasse ius habent ad nostra suffragia percipienda. En quare ipsa Ecclesia voluit ut indulgentiae omnes rosarianae applicabiles sint defunctis, et etiam quod exercitium mensis in honorem SS. Rosarii Octobris finiatur ipsa die Commemorationis omnium fidelium defunctorum (2).

Studeamus ergo saepe et bene Rosarium recitare: *digne* scilicet, *attente* atque *devote;* debita cum reverentia, cum distincta pronuntiatione verborum et cum magna caritatis amplitudine. Rosarium bene recitatum uberrimus fons consolationum in hac vita erit, futuraeque sperandae tutissima ratio.

24. — Ad haec usque postrema tempora, ad lucrandas Indulgentias Rosario adnexas, idem recitari debebat *continue*, saltem per quinque decades uniuscuiusque tertiae partis. Soli ascripti Confraternitati, et *pro Rosario septimanali obligatorio* dumtaxat, fruebantur privilegio recitandi Rosarium separando unam decadem ab alia, quovis temporis intervallo inter unam et alteram interiecto. Ipsa S. Congregatio Indulgentiarum (3), rogata ut a Summo Pontifice impetraret facultatem fidelibus omnibus et pro omni

(1) *Le Glorie di Maria*, c. 8, § 2.
(2) Cfr. infra, p. 126, n. 86; et pag. 168, 183, 185, 186.
(3) *S. Congr. Indulg.*, 22 Ianuar. 1858.

casu subdividendi Rosarium in plus quam tres partes, respondit: *non expedire.* Quod tamen S. Congregatio anno 1858 non expedire iudicavit, concessum est a S. Pontifice Pio X, prius solis ascriptis (1), deinde omnibus fidelibus (2); ideoque nunc omnes Indulgentias Rosarii acquirere possunt etiam *unam decadem ab alia disiungendo.*

25. — Rosarium igitur, etiam in practica applicatione, oratio valde opportuna evadit ad sancte utendum temporis fragmentis quae unicuique in die supersunt a negotiis. Domi enim, in via, cum aliqua persona aut initium alicuius sacrae functionis expectatur, potest semper suppeditari occasio recitandi Rosarium; et hodie facilius etiam quam aliis temporibus, cum sine ullo Indulgentiarum praeiudicio, possit una decas seorsim ab alia recitari; mane, e. g., recitando unam duasve decades; post meridiem autem ac vespere reliquas eiusdem seriei ad complendam tertiam Rosarii partem, intactis Indulgentiis. Cum igitur eae sint hodiernae dispositiones Ecclesiae circa Rosarii recitationem, quis poterit serio asserere ad recitandam saepe, imo cotidie, tertiam saltem Rosarii partem sibi tempus non sufficere?

§ II. — *De Rosario in communi recitando.*

26. — Oratio, nobilissima fidei loquela, semper teneri aliquid habet et augusti tam in ore vetulae, quam in ore sapientium et regum; at nemo, vel

(1) Cfr. *Analecta Ord. Praed.* vol. VII, p. 748.
(2) *S. Congr. de Indulg.*, 8 Iul. 1908.

vir fortissimus, inveniri potest, quin vehementer afficiatur a multitudine coram Deo in templo prostrata.

« Cur nos in ecclesia colligimur, ad ecclesiam convenimus? — ait S. Ioannes Chrysostomus. — Ut vehementius Deum ad misericordiam flectamus. Nam, cum orantes soli imbecilles simus, per coniunctionem caritatis Deum exoramus ut nobis postulata concedat. Haec vero a me proferuntur ut semper ad collectas (id est ad orationes *in communi* factas) properetis, nec dicatis: Annon enim orare domi possum? Potes tu quidem orare, sed tantam virtutem non habet oratio quam ubi cum propriis membris fit, quam cum totum corpus Ecclesiae unanimiter et una voce preces fundit » (1). Et alibi: « Precari etiam domi potes; ita vero precari ut in Ecclesia non potes, ubi tanta fratrum frequentia, ubi clamor unanimiter ad Deum emissus. Non perinde exaudieris cum penes te solus Deum precaris atque ubi cum fratribus tuis. Hic aliquid amplius est, nempe concordia, consensus, caritatis vinculum » (2).

Etiam Rosarium, oratio christiana per excellentiam, multum sublimitatis assequitur et efficaciae cum *in communi* recitatur; imo dixerim illud esse orationem ceterarum aptissimam, sicuti experientia testatur, ut simul recitetur sive in publicis ecclesiis, sive in familiis.

Rosarium in familia, diximus. Sed, heu dolor! quot sunt hodie familiae, in quibus vigeat antiqua consuetudo claudendi diem Corona in communi recitata? Atqui haec oratio in communi ad Deum

(1) *De prophetiarum obscuritate*, Hom. III, n. 6.
(2) *De incomprehensibili Dei natura*, Hom. III, n. 6.

et Beatam Virginem glorificandos, ad subveniendum nostris defunctis vivisque gratias consequendas, transierat in christianas familias veluti haereditas pretiosissima! Vespere, cum silentii maiestas cordibus loquitur, omnia familiae membra, quae per diem dispersa fuerant, ad communem orationem congregabantur, domo in templum quoddam converso, et domestici sacerdotii honore redimebantur frontes patris et matris, qui Rosarii moderatores quodammodo efficiebantur (1). In Mariano Conventu Friburgi in Helvetia habito anno 1902 hoc votum emissum est: « Omnes catholici, explicitae voluntati Summi Pontificis Leonis XIII obsecundantes, curent pro viribus ut conservetur et restituatur in familiis consuetudo recitandi quotidie inter vespertinas preces Coronam SS. Rosarii ». Utinam votum huiusmodi adimpleatur, atque in singulis familiis instauretur hoc iucundissimum vitae christianae spectaculum!

27. — Rosarium praeterea est oratio *solemnissima* et publicis precationibus quam maxime idonea. Ecclesia ipsa, sapiens magistra in suppeditandis efficacissimis mediis, quae in filios suos sincerae fidei et christianae caritatis sensus excitent, semper adeo magni fecit sanctissimum Rosarium, ut merito asseri possit illud orationem prope liturgicam evasisse. Unde sapientissimus Leo XIII populum clerumque exhortatur:

a) ut singulis diebus festis in ecclesiis paroecialibus, etiam in illis in quibus non exsistit Confraternitas, recitetur saltem tertia pars Rosarii (2);

(1) Cfr. Del Corona, O. P., *Le Rose di Maria*, § XXIII.
(2) Breve « *Salutaris ille* », 24 Dec. 1883.

b) ut in ecclesiis ubi erecta est Sodalitas « rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam saepissime, maxime in festis Beatae Virginis, ad altare eiusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur » (1);

c) ut in omnibus ecclesiis cathedralibus mundi cotidie recitetur Rosarium (2).

Nemo, qui cordium desideria populique necessitates intelligat nec Religionis incrementa negligat, poterit non agnoscere quam efficax medium recitatio Rosarii sit ad excitandos in animis sensus nobilissimos religionis et moralitatis, atque ad fideles in illud bonum dirigendos, quod eos manet. « Utinam, concludit ipse Leo XIII in Encyclica " *Iucunda semper* „ (8 Sept. 1894), utinam sanctae huic pietati pristinus ubique honor reddatur: haec in urbibus et villis, in familiis et officinis, apud primores et infimos adametur et colatur non secus ac christianae professionis tessera, officiumque praesidium divinae propitiandae clementiae ».

In pago aliquo Tridentinae regionis dominus quidam, quo facilius impelleret homines ad hanc orationem in communi persolvendam, legatum perpetuum reliquit vi cuius singulis sabbatis et vigiliis solemnitatum Apostolorum et B. Mariae Virginis famuli domus portionem vini acciperent, dummodo Rosarium cum capite familiae recitassent; quod etiam hodie observatur (3). Nihil a zelo christiano alienum est, cum in pristinum honorem restituendum est aliquod pietatis exercitium, quod est ca-

(1) Const. « *Ubi primum* », § XIII.
(2) Breve « *Salutaris ille* », 24 Dec. 1883.
(3) Esser O. P., *Le Rosaire etc.*, c. 10, p. 307.

tholicae familiae et hominum societati verum instructionis manuale, medium educationis, moralis unionis vinculum, fons caelestium benedictionum.

CAPUT III.

De Confraternitate Sanctissimi Rosarii.

§ I. — *Quid sit Confraternitas SS. Rosarii.*

28. — Quemadmodum viator se viatori libenter adiungit, quia tutius cum socio quam solus iter facit; et mercator cum mercatore societatem init, quo melius negotia, etiam personalia, communi actione curentur; ita, et multo magis, hanc unionis necessitatem et societatis cupidinem experimur et agnoscimus in vita spiritus, in ipso commercio quod cum Deo habemus. En origo *Sodalitatum*, quae sunt species quaedam pacti seu conventi inter plures sibi mutuo auxilium spiritualiter ferendi, sibique communicandi salutares fructus, qui aliquarum devotionum aliorumve bonorum operum frequentatione percipiuntur.

Rosarium etiam suam *Sodalitatem* habet, quae, ut in eius essentia sistamus, apte definiri potest: « Societas quaedam fidelium, in mutuum commodum spiritualiter unitorum, ad deprecandam et colendam Beatam Virginem, speciali erga eius Rosarium devotione ». Ecce quomodo de Sodalitate Rosarii loquitur ipse Summus Pontifex Leo XIII in primo paragrapho Constitutionis « *Ubi primum* »: « Sacratissimi Rosarii Sodalitas in eum finem est instituta, ut multos fraterna caritate coniunctos per piissimam

illam precandi formulam, unde ipsa consociatio nomen mutuatur, ad Beatae Virginis laudationem et eiusdem patrocinium unanimi oratione impetrandum alliciat. Quapropter, nullo quaesito lucro aut imperata pecunia, cuiusvis conditionis excipit homines, eosque per solam Rosarii Marialis recitationem mutuo devincit. Quo fit, ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes, multa inde recipiant. Actu igitur vel habitu dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes eiusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt ». Summus Pontifex sat perspicue loquitur, nec ideo necesse est diutius immorari in natura Sodalitatis Rosarii definienda.

29. — Sed quis primus hanc Sodalitatem instituit? Historici fere omnes inde a saeculo XV et plurimi Summi Pontifices, a Leone X usque ad Leonem XIII, S. Patriarchae Dominico Sodalitatis institutionem ascribunt. Eadem autem ratione qua dubitatum est de Dominicana origine Rosarii, ita et a fortiori, haec dubia aucta sunt circa originem Sodalitatis, quae ab ipso denominatur. Et revera, affirmare Sodalitatem Rosarii, qualem superius definivimus et nunc vigentem, a S. Dominico suam originem ducere, haud rectum foret. Nulla enim devotio repente et undequaque perfecta surgit; sed lente praeparata, delineatur, transformatur, usuque ipso, obstaculis et privilegiis pedetentim perficitur. Quo fit ut eam in fonte reperire sit prope impossibile: fere semper historici viri attentionem non excitat, nisi cum plenam evolutionem atti-

gerit. Rosarium ipsum nil aliud fortasse initio fuit quam nova praedicationis narrativae methodus, a S. Dominico excogitata, non sine Beatae Virginis inspiratione, quo uberiores salutis fructus inter haereticos caperet. Ad propaganda meliusque explicanda hominibus, rerum catholicae religionis ieiunis, fidei mysteria, incepit fortasse Beatus Dominicus narrare et commentari praecipua facta vitae Iesu et Mariae, interiectis unum inter alterumque sermonem aliquot Dominicis Orationibus et Salutationibus Angelicis, sive ut benedictio caelestis in eius labores prolixius effunderetur, sive etiam ut animos audientium, qui per longas horas eum audire debebant, identidem recrearet. Sat facile ita explicaretur silentium primorum scriptorum vitae S. Dominici circa Rosarii devotionem. Siquidem Rosarium, *nova praedicationis methodus* in eius origine, recenseri non poterat, a primis scriptoribus Ordinis, inter varias preces aut devotiones, quas Religiosi in honorem Beatae Virginis propagare solebant. Progressu tantum temporis, momento autem haud facile determinabili, haec praedicationis methodus in specialem praecandi formulam fuisset conversa, et ex sollemni facta esset cotidiana praedicatio, omnium captui accommodata. Enuntiatio magnorum mysteriorum, recitatio exactior et magis ordinata Orationum Dominicarum et Salutationum, hunc novum precandi modum adeo popularem effecissent ut, ope illius consociationis instinctus, qui totum christianismum pervadit quique medio aevo tam mirifice sese evolvit, Rosarii Sodalitates ipsae se constituissent et in infinitum multiplicassent. Hanc coniecturam non abnuimus esse arbitrariam; sed num inest aliquid insoliti in hac successiva Ro-

sarii mutatione a *methodo praedicationis* ad *methodum orationis?* Nonne naturali cursui rerum accommodamur, et simul antiquissimam et venerabilem traditionem intactam relinquimus, quae si nullis aliis documentis quam seipsa roboratur, nullimode tamen rationabiliter reiici potest? (1).

Primum authenticum documentum quod ad Sodalitatem Rosarii referatur, ultra dimidium saeculi XV non ascendit, et praecise de celebri Confraternitate Coloniensi agit, quam condidit Ven. Pater Iacobus Sprenger, Prior in dominicano Conventu Coloniensi, et cum Beato Alano collapsae devotionis Rosarii restitutor (2). Exinde Rosarii Sodalitates quasi in infinitum sunt multiplicatae, et vix urbs reperitur aut vicus in quibus erectae non fuerint. Quod si pluribus in locis modo non vigent, vestigia tamen ubique remanent (3).

30. — Tempus extitit quo diversae Rosarii Sodalitates veluti magni rami *Archiconfraternitatis* Romae in ecclesia S. Mariae supra Minervam existentis habitae sunt (4). Sed perperam; Rosarium enim numquam *Archiconfraternitatem* habuit. Quod si interdum aut Generales Ordinis Dominicani aut ipsi Summi Pontifices de Archiconfraternitate Rosarii in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe loquuti sunt, hoc tamquam *honoris causa* dictum

(1) Cfr. P. MORTIER O. P., *Histoire des Maîtres Généraux des Frères Prêcheurs*, Vol. I, Chap. I.

(2) Cfr. supra, n. 16, pag. 27 et seqq.

(3) Iuxta ultima decreta Leonis XIII non sufficit memoria tantum aut aliquod indicium quod Rosarii Sodalitas hoc vel illo loco extiterit, sed debet *documento aliquo authentico certo constare de erectione;* secus, cum iam tempus renovationis Diplomatum desierit, requiritur nova erectio. Cfr. *melius infra*, n. 36, 2°.

(4) Cfr. MORASSI, O. P., *Il Rosario etc.*, P. III, cap. I, sect. I.

accipiendum est, idest tamquam modus quidam extollendi Confraternitatem Rosarii sitam Romae, sub immediata directione Magistri Generalis Dominicanorum. Ceterum, Confraternitati S. Mariae supra Minervam defuit semper, ut esset vera Archiconfraternitas, conditio essentialis, *aggregatio* videlicet ad ipsam aliarum Sodalitatum. Quaestio authentice hodie resoluta est a Leone XIII, in Constitutione « *Ubi primum* », sic dicente: « Cum nulla habeatur Sacratissimi Rosarii Sodalitas princeps, cui aliae minores aggregentur, hinc nova quaevis huiusmodi consociatio, per ipsam sui canonicam institutionem particeps fit indulgentiarum omnium ac privilegiorum, quae ab hac Apostolica Sede aliis per orbem Sodalitatibus eiusdem nominis concessa sunt » (1). Quod si neque Confraternitas Romana Rosarii, quae inter antiquissimas procul dubio recensenda est, vera Archiconfraternitas dici potest, multo minus hoc ius sibi vindicare possunt aliarum regionum Rosarianae Sodalitates, tametsi titulo Archiconfraternitatis interdum fuerint decoratae (2). Hoc semper intelligendum est de *titulo honorifico* tantum, saltem quod attinet ad privilegia et indulgentias, quae, ut aperte loquitur Constitutio « *Ubi primum* », omnibus Rosarii Sodalitatibus sunt communia.

§ II. — *De erectione Confraternitatis.*

31. — Sodalitas Rosarii, sicut et alia quaevis devotio, ab ipso eius ortu certe non regebatur legibus et canonicis praescriptionibus. Ut iam innuimus, fides

(1) Const. « *Ubi primum* », § VI.

(2) E. g. Sodalitas Rosarii urbis Aversae titulo et privilegiis *Archiconfraternitatis* honestata est per Brevem Pii IX, die 2 Oct. 1871.

et caritas, quae in suis manifestationibus numquam exhauriuntur, semen bonorum operum iaciunt in feracissimo horto catholicae Ecclesiae; cui quidem semini tunc solum bona ista mater manus suas admovet, cum iam in vitae germen egressum, posset aut sterile remanere aut in silvestres fructus degenerare. Igitur etiam Sodalitas nostra in initio res privati iuris omnino extitit. Primum documentum quod Confraternitatem Rosarii, licet indirecte, quodammodo sit moderatum, est Constitutio « *Quaecumque* » Clementis VIII (7 Dec. 1604), in qua summatim generales regulae traduntur observandae in cuiusque Confraternitatis erectione. Antea omnia ab ipsis personis, quarum intererat, disponebantur, potissimum autem a Generali Magistro Fratrum Praedicatorum, qui semper agnitus est supremus et antiquissimus Moderator omnium rerum quae ad Sancti Rosarii devotionem spectant. Deinceps tamen, nec pontificiae Constitutiones defuerunt, nec decreta SS. Congregationum quae modum erigendi Confraternitatem Rosarii adamussim praescriberent; quorum documentorum ultimum est Constitutio « *Ubi primum* » Leonis XIII, iam pluries citata, et quam nunc sequi debemus.

Quid ergo hodie requiritur ad canonice erigendam Confraternitatem SS. Rosarii?

32. — Primum est *loci electio.* « Sodalitas a sacratissimo Rosario in omnibus ecclesiis publicisque aediculis institui potest, ad quas fidelibus accessus libere pateat, exceptis monialium aliarumque piarum mulierum vitam communiter agentium ecclesiis, prout sacrae romanae Congregationes saepe declararunt. Cum iam ab Apostolica Sede cautum

sit, ne in uno eodemque loco plures existant sacratissimi Rosarii Sodalitates, Nos eiusmodi legem iterum inculcamus et ubique observari iubemus. In praesenti tamen, si quo in loco plures forte existant, rite constitutae Sodalitates, facultas sit Magistro Generali Ordinis ea de re pro aequitate iudicandi. Ad magnas vero urbes quod attinet, plures in iis, uti iam ex indulgentia provisum est, haberi possunt titulo Rosarii Sodalitates, ab Ordinariis pro legitima institutione Magistro Generali proponendae ». Ita in § V Constitutionis « *Ubi primum* » Leonis XIII. — Ex quibus sequitur:

a) Confraternitatem Rosarii non posse erigi nisi in aliqua *Ecclesia* aut saltem in *Oratorio publico;* videntur igitur excludi, saltem secundum Constit. « *Ubi primum* » (l. c.), *Oratoria semi-publica;* certe excluduntur *Oratoria privata* (can. 712, § 1) (1), et ecclesiae aut oratoria *monialium* et *aliarum piarum mulierum*, quae ad instar monialium vitam communem agunt (*l. c.*) (2).

(1) *Ecclesiae* nomine intelligitur « aedes sacra, divino cultui dicata, eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum » (can. 1161).

Oratorium publicum, locus divino cultui destinatus, praecipue in commodum alicuius collegii, e. g. sodalium alicuius Confraternitatis; ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, accessus libere pateat (cfr. can. 1188, § 2); — *Oratorium semi-publicum*, locus cultui destinatus exclusive in commodum determinati coetus personarum, uti communitatis religiosae, seminarii, collegii, etc., atque ita ut aliis non sit liberum illud adire (can. 1188, § 2, n. 2); — *Oratorium privatum*, seu *domesticum*, quod in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit (can. 1188, § 2, n. 3).

(2) Quaeri potest utrum in nullo casu liceat erigere Confraternitatem Rosarii in ecclesiis aut oratoriis Religiosarum aliarumve piarum mulierum quae ad modum Religiosarum vivant? Etenim, ait can. 712, § 3: « in ecclesiis vel oratoriis religiosarum Ordinarius loci permittere potest erectionem associationis mulierum tantum, aut piae unionis quae nonnisi precationibus incumbat et gratiarum dumtaxat spiritualium communicatione gaudent ». — Cui dubio respondetur: *a*) Si constituatur Confraternitas ad

b) Plures Rosarii Sodalitates « in uno eodemque loco » existere nequeunt (1). Et pro *eodem loco* intelligitur eadem civitas, aut vicus seu pagus, quin ratio habenda sit, sicut antea praescriptum fuerat (2), distantiarum inter unum locum et alterum.

Ut Rosarii Sodalitas alicubi erigi possit, hodie requiritur et sufficit ut in opinione publica locus aliquis consideretur distinctus et non pars alterius loci, ut habeat scilicet proprium nomen, propriam paroeciam, domusque unius non sint contiguae, sed separatae a domibus alterius, quemadmodum declaravit S. Congregatio de Indulgentiis (3). In dubio autem recurrendum est ad S. Sedem.

c) Quod si in magnis urbibus opportunum videatur plures Rosarii Sodalitates erigere, id fieri potest, dummodo ab Ordinariis res probetur (cfr. can. 711, § 1), et casus ab iisdem Ordinariis Magistro Generali Ordinis Praedicatorum proponatur ad habendum Diploma canonicae institutionis.

33. — Electa ecclesia iuxta praescriptiones pontificias modo enumeratas, restat ut postuletur a Magistro Generali Dominicanorum *Diploma erectionis*. Ut enim declarat Leo XIII, « uni Magistro

modum veri *organici corporis*, idest cum praeside, consilio directivo, cum participatione functionibus et caeremoniis religiosis etc., certe negandum est; *b*) si vero omnia consisterent in adscriptione sodalium libro Confraternitatis unice ad participandum Indulgentiis et aliis spiritualibus beneficiis, videtur, vi canonis citati et non obstante declaratione in contrarium Constitutionis « *Ubi primum* », hodie retineri posse quod similibus in casibus liceat Ordinario, etiam in Ecclesiis et Oratoriis religiosarum, Confraternitatem Rosarii in praedicta forma erigere.

(1) Clemens VIII, Const. « *Quodcumque...* »; Pius IX, *S. C. Indulg.*, 8 Ian. 1861; Const. « *Ubi primum* » Leonis XIII, § V; can. 711, § 1.

(2) Cfr. *Acta Cap. General. O. P.* Romae 1589, ord. 11; Venet. 1591, ord. 12; Fontana Lo-Cicero, *Constit. FF. PP.*, cap. I, p. 441, n. 18.

(3) *S. Congr. de Indulg.*, 20 Maii 1896.

Generali ius est instituendi Sodalitates sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subit Vicarius eius generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis. Quamobrem, pergit S. Pontifex, quaevis Sodalitas in posterum instituenda, nullis gaudeat beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem auxerunt, nisi diploma institutionis a Magistro Generali vel a memoratis Vicariis obtineat » (1).

In petitione erectionis Romam mittenda ad P. Generalem Dominicanorum, exprimi debent:

a) nomen urbis aut oppidi in quo desideratur erigenda Sodalitas;

b) nomen dioecesis;

c) Sanctus titularis Ecclesiae;

d) officium illius qui futurus est Rector Confraternitatis (2);

e) nomen Sacerdotis qui delegandus est ad erectionem Confraternitatis (3).

Insuper petitio debet approbari ab Episcopo, et eiusdem *in scriptis* licentia muniri; quod si ecclesia sit cathedralis aut collegialis, requiritur etiam consensus Capituli (can. 712, § 2).

(1) Const. « *Ubi primum* », § II. — In § IV eiusdem Constitutionis dicitur etiam non licere Magistro Generali facultates quibus pollet (quoad institutionem Sodalitatum Rosarii) in universum et absque limitatione committere Provincialibus, aliisve aut sui aut alieni Ordinis vel Instituti sacerdotibus; et « facultatem revocamus, inquit S. Pontifex, a fel. rec. Benedicto XIII Magistris Ordinis concessam (Const. « *Pretiosus* », die 26 Maii 1727), delegandi generatim Provinciales *transmarinos*. Indulgemus tamen, rei utilitate perspecta, ut earumdem provinciarum prioribus, vicariis, praepositis missionalibus potestatem faciant instituendi certum Sodalitatum numerum, quarum accuratam rationem iis reddere teneantur ».

(2) In Rectorem Confraternitatis praestat eligere Parochum aut Rectorem *pro tempore* Ecclesiae ubi Sodalitas erigitur.

(3) Ad erectionem Confraternitatis praeferendus est semper Pater aliquis Dominicanus; quod si fieri non potest, quicumque alius sacerdos qui ab Episcopo sit probatus delegari licet (Cfr. *infra*, n. 34).

Licentia Ordinarii, antequam Sodalitas erigatur, requiritur *sub poena nullitatis* erectionis (1), et ab *ipso Episcopo* dari debet, non vero ab eius generali Vicario, neque a Vicario Capitulari (can. 686, § 4). Vicarius generalis potest eiusmodi licentias dare dumtaxat si *specialem delegationem* ab Episcopo acceperit (can. 686, § 4); quae delegatio *debet exprimi* in ipsa licentia necnon in verbali processu erectionis, ne dubia de validitate actus in posterum oriantur (2).

Haec praevia Episcopi licentia, aut Vicarii generalis ad id expresse delegati, non necessario transire deberet per manus Patris Generalis Dominicanorum; hic tamen eam semper exigit antequam Diploma erectionis Confraternitatis exaret, ne actum irritum perficiat si forte Episcopus suum assensum denegasset.

34. — Obtento Diplomate, omnia ad Confraternitatis erectionem parata sunt. Modum procedendi, in fine Manualis declarabimus (3). Hic tantum principaliores actus adnotabimus, ne, saltem quoad substantiam, ullum defectum erectio patiatur.

a) In primis igitur advertendum est *solum sacerdotem expresse a Generali Dominicanorum Magistro deputatum* Confraternitatem erigere posse, seu ut in Iure dicitur, actum erectionis *fulminare*.

(1) Const. « *Quaecumque* » Clementis VIII, iam citata; et C. I. C. can. 686, § 3.

(2) Interrogata S. Congr. de Indulgentiis: « 1° An expediat Vicariis generalibus concedere facultatem qua possint valide consensum dare pro erectionibus Confraternitatum SS. Rosarii erigendis a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum; et quatenus negative: 2° An Vicarii Generales possint valide dare consensum pro erectione Confraternitatum SS. Rosarii etc. ex speciali Episcopi delegatione »? — S. Congr. die 2 Aug. 1888 respondit: « Ad primum *non expedire;* ad secundum *affirmative*, facta mentione specialis delegationis ».

(3) Cap. VI, *Formularium Benedictionum*, n. I.

Quod si ipse impeditus fuerit, tunc poterit ab alio sacerdote, *Episcopo accepto*, suppleri prout benigne concessum est a S. Congregatione Indulgentiarum (1), et prout exprimitur in patentibus litteris ipsius R.mi Patris Generalis Dominicanorum.

In Constitutionibus Fratrum Praedicatorum commendatur Magistro Generali ut ad erigendas Rosarii Confraternitates deleget semper aliquem Patrem ex Ordine; quod idem praecipit Summus Pontifex Leo XIII. Ubi vero Sacerdos Ordinis S. Dominici commode haberi nequit, tunc a Magistro Ordinis potest delegari quicumque alius sacerdos Episcopo acceptus. En textus Leonianae Constitutionis: « Instituendae Sodalitati in designata aliqua ecclesia Magister Generalis deputet per consuetas litteras sacerdotem sui Ordinis; ubi Conventus Sodalium Dominicanorum desint, alium sacerdotem Episcopo acceptum » (2).

b) Sacerdos delegatus, antequam ad erectionem procedat, explicare debet fidelibus, uno pluribusque sermonibus, praestantiam, beneficia et obligationes Confraternitatis, sicut praescribitur in iisdem patentibus litteris; sed actus formalis erectionis consistit unice in publica declaratione *se nomine R.mi Magistri Generalis Fratrum Praedicatorum, instituere et institutam declarare in Ecclesia N. loci N. Confraternitatem Sacratissimi Rosarii cum omnibus gratiis, privilegiis et indulgentiis piae huic Associationi annexis* (3). Actus iste praetermitti non potest, sub poena nullitatis (4); et etiamsi, aliqua iusta de causa,

(1) *S. C. Indulg.*, 8 Febr. 1899.
(2) Constit. « *Ubi primum* », § IV.
(3) Vide formulam, cap. VI, n. I, huius *Manualis*.
(4) Cfr. *Acta Ap. Sedis pro Societ. SS. Ros.*, vol. I, c. I, n. 22.

publice fieri nequeat, ut in casu secretae revalidationis, semper tamen coram testibus — saltem duobus — totum negotium fideliter absolvendum est. Ne autem in posterum dubia de huius actus validitate oriri possint, sacerdos delegatus *verbale processus* rite conficiat, et in ipso erectionis Diplomate, quod proprio nomine subsignabit, scribat: *executioni mandatum*, die erectionis non omisso (1).

c) Speciali privilegio fruitur sacerdos ad hanc institutionem deputatus, benedicendi scilicet Rosarii Coronas et fideles Confraternitati adscribendi per octo dies qui erectionem praecedunt et subsequuntur. Eo tamen uti non potest nisi ubi Confraternitas erigitur (2).

Igitur, omnia colligendo, ad *validam* erectionem alicuius Confraternitatis requiritur:

a) *licentia in scriptis* data ab Episcopo dioecesano, aut ab eius Vicario generali expresse delegato;

b) *diploma* erectionis emissum a R.mo P. Generali Dominicanorum;

c) *actus formalis erectionis* factae a Sacerdote ad hoc expresse delegato et coram duobus saltem testibus.

35. — Confraternitas Rosarii sic canonice erecta, durat per se in perpetuum; et etiamsi per inter-

(1) Quo facilius *Processus* exaretur, Magister Generalis solet cum Diplomate mittere duo exemplaria huius *Processus*, replenda a sacerdote deputato et a testibus subscribenda. Quorum unum exemplar remittendum est ad eumdem P. Generalem, alterum vero asservandum in Archivo Ecclesiae, ubi instituitur Confraternitas.

(2) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosar.*, vol. I, c. I, n. 23. — Aliud est ad Confraternitatem erigendam delegari, aliud obtinere facultatem eidem adscribendi et benedicendi Coronas Rosarii; quae postrema concedi solet in *perpetuo* et *pro omnibus locis ubi desunt Conventus Dominicanorum;* dum prima, hoc est *delegatio*, conceditur unice ad effectum alicuius determinatae Confraternitatis erigendae.

vallum plus minusve longum temporis decideret aut penitus vivere desineret, retineret tamen semper omnia iura et privilegia; et Director sine novis facultatibus posset, etiam post multos annos, eam ad pristinum statum et vitam restituere (1). Duobus tantum casibus *cessat existere:*

a) per actum suppressionis a S. Sede aut a Magistro Generali Dominicanorum emanatum (2);

b) per totalem destructionem aut redactionem ad usum profanum in perpetuum illius Ecclesiae ubi Confraternitas erecta erat.

Transfertur autem cum omnibus iuribus et privilegiis:

a) si deleta Ecclesia ubi Confraternitas erecta erat, alia aedificatur in eodem loco aut prope, id est, viginti aut triginta passus a loco primitivo et sub eodem titulo (3);

b) si quo loco, post Confraternitatem in quavis ecclesia canonice erectam, conventus Dominicanorum cum adnexa ecclesia extruatur (4). In hoc secundo casu Confraternitas Rosarii transfertur ad ecclesiam illius conventus, etiam si erecta foret non iam Diplomate Magistri Generalis Praedicatorum, sed directe a S. Pontifice vel ab Episcopo, speciali S. Sedis indulto (5). « Quod si, peculiari aliquo in casu, de hac lege remittendum videatur, facultas esto Magistro Generali Ordinis pro sua aequitate

(1) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosar.*, vol. I, n. 38; — *S. C. Indulg.*, 28 Ian. 1839.

(2) Gregorius XIV, « *Apostolicae servitutis* », 25 Sept. 1591; Cfr. *Bull. Ord. Praed.*, V, 480.

(3) *S. C. Indulg.*, 9 Aug. 1843 et 29 Mart. 1886.

(4) Constit. « *Ubi primum* », § VI. — Cfr. Constit. « *Dudum si quidem* » Gregorii XIII, 1 Aug. 1575; Constit. « *Pretiosus* » Benedicti XIII, 26 Maii 1727; et *Diploma* erectionis.

(5) *S. C. Rituum*, 21 Apr. 1873.

et prudentia opportune providendi; integro tamen sui Ordinis iure... » (1).

36. — Praeter casum quo Confraternitas certe sit extincta aut ad aliam ecclesiam translata, potest et tertius dari casus, in quo nimirum existentia Confraternitatis in dubium revocetur sive quia documentis non constat de eius canonica erectione, sive quia in erectione omissae sunt quaedam praescriptiones ad validitatem requisitae. Quid agendum?

Respondemus: 1° Si erectionis Diploma nullo defectu laborat, sed tantum dubitatur de executione praescriptionum quae in ipso erectionis actu requirebantur, — puta, si contra superius dicta n. 34, *b*), fideles adscriberentur quin proclamata fuisset, privatim saltem et coram testibus, erectio Confraternitatis —, tunc sufficit repetere actum erectionis privatim aut publice, et inscriptiones renovare (2).

2° Si dubium nullitatis oriatur ex eo quod erectionis Diploma numquam forte petitum fuerit, — quia e. g. non potest reperiri nec ullum certum indicium de eo habetur, — tunc oportet novum Diploma postulare et procedere, privatim si non decet publice, ad regularem erectionem, ac si Sodalitas numquam exstitisset, non omissa inscriptionum renovatione (3).

Praescriptio et bona fides, factum scilicet quod iam a multis annis Confraternitas suas functiones exerceat, quodque hoc legitime credatur, non sufficiunt ad legitimandam canonicam electionem (4).

(1) Constit. « *Ubi primum* », § VI.
(2) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosar.*, vol. I, c. II, n. 34.
(3) Constit. « *Ubi primum* », § III.
(4) Constit. « *Ubi primum* », § III.

Si vero non reperiantur patentes litterae Magistri Generalis Fratrum Praedicatorum, extent tamen documenta et indicia certa canonicae erectionis — puta processus verbalis erectionis, inscriptio commemorativa in registro confratrum, aut alia quaecumque authentica documenta in fidem factae erectionis — Confraternitas haberi debet ut canonice erecta et ut particeps omnium gratiarum et privilegiorum (*S. Cong. de Indulg.*, 10 Aug. 1899).

3° Denique si Diploma sit legi plene conforme, et omnia substantialiter servata sint quae ad erectionis actum praescribuntur, sed non constet *in scriptis* de assensu Episcopi dioecesani, sufficit tunc huiusmodi consensum exquirere, et iterare privatim aut publice actum formalem erectionis, inscriptionibus renovatis (1).

Casus isti, qui frequentius occurrunt, possunt interdum mutari circumstantiis hic non notatis; tunc prudens erit recurrere ad Magistrum Generalem Dominicanorum vel ad S. Sedem ad authenticam responsionem obtinendam.

§ III. — *De Adscriptis ad Confraternitatem.*

37. — Iam ab antiquis temporibus duo adhibentur modi adscribendi in Confraternitatem Rosarii: alter *in forma solemni*, alter vero *in forma simplici seu privata;* prout relatio nominum novorum sodalium in librum Confraternitatis fit a Directore privatim et sine ullo exteriori apparatu, vel fit solemniter ad Altare Confraternitatis in aliqua solemni circumstantia, praesertim recurrentibus prae-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosar.*, vol. I, c. II, n. 29.

cipuis diebus festis SS. Virginis, et cum determinato precum formulario (1). Utraque forma inscribendi confratres valida est et licita. Attamen, « etsi quovis tempore — sunt verba Leonis XIII — nomina possint legitime inscribi, optandum tamen ut solemnior illa receptio, quae, sive primis cuiusque mensis dominicis, sive in festis maioribus Deiparae haberi solet, apprime servetur » (2). Sane Confraternitas Rosarii est quaedam publica societas; iustum est ergo ut habeat et observet, quantum fieri potest, proprium caeremoniale in novis membris publice et solemniter recipiendis.

38. — Nomen novi confratris adnotari debet a persona mandatum habente, cuiusmodi est praecipue Director Confraternitatis. Non tamen necesse est ut Director omnia nomina adscribendorum propria manu semper exscribat; hanc adnotationem potest aliis quoque sacerdotibus vel laicis committere, dummodo ipse actum confirmet proprium nomen apponendo in calce cuiusque paginae in qua novorum adscriptorum nomina referuntur (3).

Praeter Directorem Confraternitati SS. Rosarii ascribere possunt omnes illi sacerdotes qui *specialem facultatem* a Generali Magistro Dominicanorum impetraverint (4). Debent tamen semper nomina no-

(1) Cfr. infra, cap. VI, n. 2; — cfr. etiam *Caeremoniale Ord. Praed.*, n. 1821 et seqq.

(2) Constit. « *Ubi primum* », § XII.

(3) *S. C. de Indulg.*, 7 Iulii 1877.

(4) Constit. « *Ubi primum* », § X. — Huiusmodi *personales facultates* solet Magister Ordinis concedere omnibus sacerdotibus qui eas requisierint; sed pro iis tantum locis in quibus non inveniuntur conventus Dominicanorum. Qui talibus facultatibus gaudet, potest iis uti, quin debeat ostendere Ordinario (*S. Cong. Ind.*, 5 Febr. 1851), et semel obtentae durant in perpetuum, nisi expresse revocatae fuerint aut iam ab initio ad certum tempus concessae.

Quibusdam religiosis Ordinibus Magister Generalis Dominicanorum be-

vorum Ascriptorum ad Confraternitatem viciniorem mittere (1), ut in Album Confraternitatis rite incorporentur (2). Hac unica conditione conceditur a Patre Generali Dominicanorum facultas recipiendi novos adscriptos (3).

Hic tamen bene distinguendum inter obligationem Sacerdotis et conditionem adscripti. Adscriptus particeps evadit indulgentiarum ac privilegiorum Confraternitatis statim ac recipitur uti adscriptus a Sacerdote; adeo ut, casu etiam quo Sacerdotis oblivione aut incuria nomen eius numquam aut nonnisi longa mora interposita mitteretur ad aliquam Con-

nigne concessit has facultates *collegialiter* et *in perpetuum*, plus minusve amplas pro variis conditionibus in ipsa Concessione expressis. Ita: *a*) Sacerdotes Congreg. SS. Redemptoris, dummodo ad confessiones approbati secundum regulas sui Instituti, possunt, in locis ubi Dominicani non inveniuntur, recipere in Confraternitatem Rosarii fideles utriusque sexus (*Concessio Rev.mi P. Andreae Frühwirth*, 19 Dec. 1894). — *b*) Sacerdotes professi Ordinis S. Ioannis de Deo, habent facultatem recipiendi in Confraternitatem Rosarii sive alios religiosos sui Ordinis, etiam novitios, sive infirmos qui in eorum valetudinariis degunt. (*Concessio Rev.mi P. Sanvito, Vicarii Gen.*, 10 Nov. 1877).

Praeter *facultates personales*, P. Generalis Dominicanorum potest concedere ut sacerdos quivis *ratione officii* ascribat Confraternitati, e. g. capellanus illius Ecclesiae vel huius Monasterii (*Acta Cap. Gen. O. P.*, Viterbii celebrati a. 1907, denuntiatione XVII). Sed in hoc casu retinemus talem sacerdotem, nisi expresse dicatur, talibus facultatibus uti non posse extra locum ubi officium exercet.

Facultati adscribendi Confraternitati SS. Rosarii, generatim annexa est quoque facultas benedicendi *coronas*, cum indulgentiis, *candelas*, *rosas*, etc. (Cfr. infra, n. 94. in nota; n. 106).

(1) Haec clausula « *viciniorem* » apponitur tantum quia supponitur hoc esse commodius; sed si cui facilius esset nomina alii mittere, liber est.

(2) Diximus *incorporentur*, quia non est necesse, praesertim cum nomina multa sunt, ut Director omnia transcribat in Albo; sed sufficit ut praecedentibus adiungat, si Album adiectionem foliorum permittat; quod si hoc fieri nequeat, hi varii nominum indices possunt asservari in appositis chartulariis in ipso Confraternitatis Archivo. In hoc casu in Albo Confraternitatis potest adnotari, sed non requiritur: « hodie ex tali loco pervenerunt tot nomina novorum ascriptorum ad Rosarium ». (Cfr. P. Esser, O. P., *Le Rosaire*, etc., chap. XII, n. 2).

(3) *S. C. de Indulg.*, 26 Ian. 1871; Constit. « *Ubi primum* » Leonis XIII, § X; *Diploma* quod concedere solet P. Generalis Dominicanorum iis qui petunt facultatem ascribendi fideles Rosario et benedicendi Coronas.

fraternitatem, non ideo novus adscriptus eiusdem membrum esse desineret aut moraretur. Conditio illa facultati adnexa, mittendi scilicet nomina ad Confraternitatem viciniorem, unice obligationem Sacerdotis respicit, nullimode neo-adscriptum (1).

39. — Ordinarie notari solet *nomen* et *cognomen* neo-adscripti, cum indicatione diei adscriptionis, et solet etiam tradi *pagella*, quam vocant, aggregationis. Hic est simplicissimus et aptior adscribendi modus. Nihilominus notandum, illud quod absolute requiritur ad ascriptionem, esse tantummodo *nomen*, utpote unicum signum publice recognitum ab Ecclesia; *cognomen*, multoque minus indicatio diei inscriptionis aut pagella aggregationis, non sunt necessaria. Tota gravitas actus reponitur ab Ecclesia in relatione nominis in *Album* (2), quae est, ut ita dicam, veluti quaedam visibilis expressio et sponsio spiritualis unionis quae inter confratres intercedit, symbolum illius caelestis libri in quo sacratissimi Rosarii Regina suorum clientium nomina inscripta custodit. Deus scribit nomina praedestinatorum ad gloriam *in libro vitae* (3); Beata Virgo scribit in *Albo* Confraternitatis nomina omnium eorum qui, quo facilius Paradisum attingant, se eius Coronae adiunxerunt.

40. — Diximus iam Confraternitates primarias seu *Archiconfraternitates* SS. Rosarii non dari; sed omnes Confraternitates, dummodo canonice erectas, esse inter se pares, iisdemque privilegiis frui; nec

(1) *S. C. de Indulg.*, 10 Aug. 1899, *ad septimum; S. C. S. Officii*, sect. de Indulg., 23 Apr. 1914.

(2) *S. Congr. Prop. Fid.*, 31 Mart. 1899.

(3) *Apoc.* III, 5; XIII, 8; XVII, 8 etc.

omnes aliud prope esse quam variae sectiones unius eiusdemque Confraternitatis per totum terrarum orbem diffusae (1). Hinc nihil interest se uni potius quam alii Confraternitati ascribere, in hoc potius quam in illo loco. Item inutile prorsus est, mutando domicilium, iterum se ascribere Confraternitati novae urbis aut oppidi in quibus novam habitationem quis sibi constituit. Uni Confraternitati Rosarii adscripti, fideles se omnibus Confraternitatibus adscriptos, et semel adscripti semper adscriptos reputare debent, cum unum sit corpus morale cuius ipsi membra sunt, unum sit caput, Sacratissimi Rosarii Regina.

41. — Restat nunc ut sciamus quae personae Confraternitati Sacratissimi Rosarii inscribi valeant.

Porro Confraternitas Sacratissimi Rosarii, « cuiusvis conditionis excipit homines — ait Leo XIII — eosque per solam Rosarii Marialis recitationem mutuo devincit » (2). — Ergo pauperes et divites, docti et indocti, sacerdotes et laici, pontifices et imperatores, omnes cuiusvis civitatis et regionis, qui Christo fide incorporentur, possunt cooptari in hanc universalem Associationem sub immediatis auspiciis benedictae Virginis Mariae. Olim nec *defuncti* quidem excludebantur ab huiusmodi magna communione fraterna, et cuivis adscripto integrum erat referre in Album Confraternitatis eorum defunctorum nomina quos prae ceteris caros haberet, quosque bonorum spiritualium Confraternitatis participes esse desideraret (3). Quod hodie expresse prohibetur, explicita

(1) Cfr. supra, n. 30, pag. 47.

(2) Constit. « *Ubi primum* », § II.

(3) Cfr. *Il Rosario.* « *Memor. Dom.*, anno XII, pag. 167, 210, 245, 276, 306, 329, 363.

declaratione S. C. de Indulgentiis, data die 10 Augusti 1899.

Sed si defuncti ascribi nequeunt, possunt tamen ascribi *morientes*, *absentes*, ipsi *pueri* simul ac rationis usum attigerint (1); sufficit ut omnes isti per epistolam aut per personas manifestent Directori alicuius Confraternitatis vel aliis qui facultate polleant, suam intentionem ingrediendi in Confraternitatem SS. Rosarii; quae quidem *intentio*, saltem implicita, a S. Congregatione Indulgentiarum expresse requiritur (2). Exinde nemo potest *inscius* inscribi, etiam si cum omni fundamento praesumi possit quod monitus non solum hanc voluntatem sit habiturus, sed etiam desiderium. Prius igitur moneantur, et habito eorum assensu possunt in Albo Confraternitatis etiam absentes annumerari.

42. — Priusquam huius paragraphi finis fiat, adverte districte vetitum esse quovis titulo *imponere* Sodalitatem ingressuris quamlibet pecuniariam contributionem, in ipso receptionis actu aut postea exigendam (3). Etenim Rosarii Sodalitas « nullo quaesito lucro aut imperata pecunia, cuiusvis conditionis excipit homines » (4). Si neo-adscriptus velit aliquid offerre, oblatio sit *plene voluntaria*, et in beneficium Societatis vel Ecclesiae ad Beatissimae Virginis cultum promovendum devolvi debet, nullo vero pacto in emolumentum adscribentis, qui *pro se* nullam oblationem, vel spontaneam, recipere potest; ad summum potest sibi retinere tenue pre-

(1) *S. C. de Indulg.*, 13 Dec. 1876.
(2) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Ros.*, vol. I, c. IV, nn. 65-69; — *S. C. Indulg.*, 26 Novembr. 1880.
(3) Leo X, *Pastoris aeterni*, 6 Oct. 1520; — *Diploma erectionis.*
(4) Leo XIII, Constit. « *Ubi primum* », § I.

tium pagellae adscriptionis, si neo-adscriptus eam habere cupiat.

Inde tamen minime sequitur quod, si in ipso Sodalitatis sinu constituatur aliqua particularis Adscriptorum societas qui, vel ad eorum ingressum vel quotannis statuant aliquam summam pecuniae solvere ut cultui Virginis a SS.mo Rosario splendidius provideatur, vel ut quorumdam suffragiorum post mortem ipsi confratres participes efficiantur, etc., hoc licite fieri non possit; imo semper hactenus factum est et fit, uti videbimus, in omnibus fere Rosarii Sodalitatibus (1). Attamen etiam in casu magna prudentia opus est; nemo qui adscribi petit Confraternitati, ad solvendam hanc pecuniae summam obligari debet, nec ulla danda est occasio supponendi quod in huiusmodi piam Unionem adscisci sit necessarium ad pertinendum Confraternitati Rosarii et indulgentiis privilegiisque Confraternitatis participandum.

§ IV. — *De privilegiis et beneficiis Confratrum.*

43. — Ad definitionem Confraternitatis Rosarii a nobis traditam redeundo, et potissimum ad illa verba Leonis XIII: « quo fit, ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes, multa inde recipiant » (2), restat ut quae sint praecipua *beneficia* quibus fruuntur Confraternitati adscripti, explicemus.

Duplicis generis sunt: *intrinseca* et *extrinseca*. De intrinsecis, quae sunt Indulgentiae, sermo erit

(1) Cfr. § VII huius capitis.
(2) Constit. « *Ubi primum* », § I.

suo loco (1); de extrinsecis autem breviter nunc dicendum.

Primum et principale beneficium Confraternitati inhaerens est *participatio in vita, in morte et post mortem omnibus precibus et bonis operibus quae a ceteris Confratribus fiunt.* Privilegium hoc speciale est Confraternitati Rosarii. Et quo melius intelligatur fructuum copia inde unicuique adscripto defluens, notandum omnia bona opera, oratione non exclusa, quae cum gratia perficiuntur, duplicem effectum habere, impetrationem scilicet novarum gratiarum sive spiritualium sive temporalium, et imminutionem poenarum, quae nostris peccatis debentur: uno verbo *intercedunt* et *satisfaciunt.* Hoc duplex igitur emolumentum *intercessionis* et *satisfactionis*, quod unusquisque adscriptus consequitur Rosarium recitando vel alia bona opera adimplendo, fit commune omnibus membris Confraternitatis; singuli dant omnibus et omnes singulis; et « dum actu vel habitu ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes eiusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt » (2). — Eo ipso quod aliquis Confraternitati adscribitur intentionem habet participandi huic communioni spiritualium bonorum; et hoc generositatis veraeque christianae fraternitatis actu, maius lucratur meritum in ipsis actibus individualibus, recipiens insuper centies milliesque duplicatum parum illud quod aliis impertit. Est vera spiritualis oeconomia recte intellecta, et veluti quaedam commercii societas circa bonum spirituale, in

(1) Cfr. infra, cap. V.
(2) Leo XIII, Constit. « *Ubi primum* », § I.

qua quisque in commune commodum aliquid confert; sed multo plus in societate lucratur quam solus umquam lucratus esset. En in quo consistit boni spiritualis communitas inter Rosarii sodales.

44. — Aliud beneficium consistit *in participatione omnium bonorum quae fiunt in Ordine Dominicano* (1). Si pensetur bonorum copia quae Ordo aliquis religiosus per orbem terrarum diffusus congerere potest, orationes, mortificationes, ieiunia, labores pro salute animarum non solum inter populos civiles, sed etiam inter barbaras et ferocissimas gentes; omnes Missae et Communiones, omnes actus virtutis, qui per diem exercentur, facile aestimabitur quanti sit pretii horum omnium bonorum participem effici.

Iam vero Ordo Dominicanorum, quia semper habuit Rosarium ut familiarem thesaurum et patrimonium haereditarium, iam inde ab anno 1484 per actum publicum trigesimi tertii Magistri Generalis Bartholomaei de Comatiis omnes sodales Rosarii ad specialem participationem omnium bonorum spiritualium, quae fiunt a membris Dominicanae familiae, admisit. Quem actum Leo X in Bulla « *Pastoris aeterni* », die 6 Oct. 1520, confirmavit, et Magistri Generales pluries postea renovarunt (2).

Duo haec specialia beneficia, — *communionis* scilicet precum et bonorum operum inter omnia membra Confraternitatis, et *participationis* bonorum quae fiunt in universo Praedicatorum Ordine, —

(1) Cfr. *Il Rosario. - Mem. Dom.*, a. II, p. 434.

(2) Cfr. *Bullar. Ord. Praed.*, IV, 392. — *Annales Ord. Praed.*, I, col. 212; — Pongratz, *Manuale Praesidum*, ubi fit sermo de confirmatione huius privilegii per Magistrum Generalem Seraphinum Cavalli (1573); et per Magistrum Generalem Ioannem de Marinis (1667). — Recens confirmatum est a Gen. Mag. Iosepho Larroca, in litteris datis die 1ª Ian. 1890.

ita in actu solemni erectionis Confraternitatis resumuntur: « Item, participes vos facio, — dicitur neoadscriptis, — omnium bonorum spiritualium totius sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, sicut et omnium aliorum bonorum spiritualium et operum, quae passim, cooperante Dei gratia, a Fratribus et Sororibus Societatis Sanctissimi Rosarii per universum mundum peraguntur » (1).

45. — Cum licentia Episcopi confratres possunt etiam induere in sacris functionibus vel processionibus specialem vestem seu *saccum* (can. 713, § 2); quem tamen semel electum neque mutare neque dimittere possunt sine Ordinarii licentia (can. 714). Intellige tamen confratres *viros;* quia foeminae, ad normam can. 709, § 2, Confraternitatibus adscribi tantum possunt ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales confratribus concessas.

Faxit Deus, ut tot tamque insignia privilegia et beneficia populum christianum inflamment ad se aggregandum ad hanc precantium militiam; et confratres religiosis coetibus studiosius intersint, sua erga Magnam Dei Matrem pietatis exercitia devotius peragant, ut post expletum in terris Angelorum officium, iisdem aliquando aggregentur ad suae Reginae laudes decantandas in Caelis.

§ V. — *De obligationibus Confratrum.*

46. — Postquam locuti sumus de Confraternitate in seipsa, de modo quo eiusdem membra colliguntur,

(1) *Caeremoniale Ord. FF. Praed.*, n. 1822. — Cfr. etiam c. VI, n. I huius *Manualis.*

et de privilegiis quae Adscriptis inde derivant, opportune quaeritur, quae sint *obligationes* eorum qui eidem Confraternitati sunt incorporati.

Qua in re iam ab initio declaramus, idque praesertim pro personis delicatae conscientiae, sodales Confraternitatis nulla obligatione teneri, cuius omissio *peccatum* importet. Praestantia enim devotionis erga Coronam, quae unit et vincit tamquam unum populum adscriptos circa thronum Reginae SS. Rosarii, haec sola sufficere debet ad eos fideles constantesque reddendos in huiusmodi honoris atque amoris tributo persolvendo et in piis illis exercitiis adimplendis, quae Associatio sua natura postulat. Unicuique Confraternitatis membro possunt et debent applicari S. Pauli verba: « legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum » (1). Ceterum pia illa exercitia, quae sensu quodam lato appellari possunt *obligationes Confraternitatis*, tam levia sunt, ut christianus quivis, vel occupationibus obrutus et omnium tepidissimus, possit ea facillime peragere, dummodo minimum bonae voluntatis retineat.

47. — Equidem « unicum sodalibus impositum onus, citra tamen culpam, est *Rosarium unaquaque hebdomada* cum quindecim mysteriorum meditatione recitandum » (2). Primis temporibus Confraternitatis, Adscripti tenebantur integrum Rosarium cotidie persolvere. Sed quantumvis huiusmodi praxis fuerit ea aetate facilior quam nostra — nondum enim invaluerat usus adiungendi Angelicae Saluta-

(1) Rom. II, 14-15.
(2) Constit. « *Ubi primum* », § XIII.

tioni invocationem *Sancta Maria Mater Dei*, etc. (1) — nihilominus, Rosarii recitatio ad ter in hebdomada « in honorem B. Virginis Mariae et iuxta Statuta eiusdem Confraternitatis » iam reducta (2), inde ab a. 1534 per Clementem VII ad solum Rosarium integrum hebdomadarium, restricta est: quae restrictio a Leone XIII in Const. « *Ubi primum* » confirmatur et adhuc viget.

Ad hanc hebdomadariam integri Rosarii recitationem non solum suppetit Confratribus septem dierum haud breve spatium, sed, ut supra dictum est (3), ipsi valent etiam dividere in plus quam tres partes quindecim decades: possunt scilicet unam decadem seorsim ab alia recitare, diversis horis, diversis diebus, lucrando indulgentias integro Rosario annexas: sufficit ut intra hebdomadam quindecim Rosarii decades, aut simul aut divisim, omnes recitentur (4).

Si modo consideretur quam facile sit matutinis vel vespertinis precibus unam Rosarii decadem adiungere, et quovis fragmento temporis uti domi, in via, ubique, ad satisfaciendum cum omni commoditate obligationi quae innumera secumfert beneficia, fatendum erit tam leve onus neminem deterrere posse a dando proprio nomine Sodalitati SS. Rosarii; imo ad id potius incitare. Etenim non facile fingitur verus christianus cui grave sit, semel saltem in hebdomada et modo tam expedito, SS. Virginis Rosarium recitare.

(1) Cfr. P. Esser, *Historia Salutationis Angelicae*, in periodico *Histor. Jahrbuch* (Monaco 1884), a. V, pag. 106 et seq.

(2) Xistus IV « *Pastoris aeterni* », 30 Maii 1478 - Cfr. *Bullar. Ord. Praed.*, vol. III, p. 567.

(3) Cfr. supra, cap. II, § 1, n. 25.

(4) Cfr. supra, num. 24.

48. — Ex iis quae dicit S. P. Leo XIII in Constit. « *Ubi primum* » § I: « actu igitur vel habitu dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, etc. », clare sequitur huiusmodi Rosarium hebdomadarium applicari debere pro ceteris membris Sodalitatis, etsi non unice et exclusive; unde recitari quidem potest ad quamlibet intentionem, dummodo ne excludantur ab huius orationis spiritualibus meritis, quinimmo includantur, ceteri fratres et sorores Sodalitatis, nec non membra Dominicani Ordinis, qui omnes « idem caritatis officium multiplicatum reddunt ». Dicitur enim: « *actu* igitur vel *habitu*, dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes eiusdem societatis mentis intentione complectitur » (1).

Neque, ob eamdem causam, necesse est ut singulis vicibus renovetur intentio nostri Rosarii participes faciendi sodales Confraternitatis; sufficit ut semel in perpetuum peragatur; ceterum ipse ingressus in Confraternitatem est implicita declaratio communicationis cum ceteris sodalibus, sensu supra indicato, omnium nostrorum bonorum operum.

Quam pulchra et consolationis plena haec orationum et sanctarum actionum communio! Habet enim aliquid quod, dum nos elevat, simul conscios reddit nos non esse solos; sicque oratio animique activitas roborantur. Quocirca optimum erit obligationem Rosarii hebdomadarii semper coram habere, et conscie intentiones Sodalitatis amplecti, numquam scilicet obliviscendo se tam excellenti et salutiferae Confraternitati esse ascriptum.

(1) Const. « *Ubi primum* », § I.

49. — Hic vero sponte dubium obicitur, num scilicet ille qui numquam aut cum aliqua omissione, Rosarii hebdomadarii obligationi satisfacit, haberi debeat membrum activum Confraternitatis, qui scilicet omnibus beneficiis privilegiisque *communibus* participet?

Communia dicimus: nam certum est istos indulgentias non lucrari, nec merita in particulari annexa operi iniuncto, quod ipsi negligunt; non poterunt e. g. lucrari indulgentias recitationi Rosarii concessas, Rosario omisso, ut per se patet.

Porro ad dubium ita propositum clare solvendum, in memoriam revocandum est, Confraternitatem posse comparari cum aliqua commercii societate, cuius *capitale sociale a fundo cotidianorum reddituum* sit probe distinctum. Primum, in casu nostro, constituitur ex bonis operibus omnium eorum qui quavis temporis differentia pertinuerunt vel pertinent ad Confraternitatem, necnon ex bono spirituali Dominicani Ordinis universi a primo momento quo bonorum spiritualium cum Sodalitate communitas ab ipso decreta est. Alterum autem coalescit ex contributionibus uniuscuiusque membri viventis, hoc est ex Rosario hebdomadario. Porro, quicumque ad aliquam societatem pertinet, habet nimirum ius participandi eius capitalibus, sive haec in arca deposita conservantur, sive currenti nummo circumaguntur. Attamen qui non ad diem, uti praescribitur, partem suam personalem confert, exigere non potest ut aliorum contributionibus fruatur. Pari modo qui Rosarium hebdomadarium omnino negligit, amittit illa hebdomada et ceteris quibus omissio perseveret, ius participandi meritis et beneficiis Rosariorum quae ab aliis Confratribus recitantur; non tamen ius amittit

ad capitale sociale, seu potius ad fructus, qui ex eo percipi possunt; et, in casu nostro, ad merita et bona spiritualia Sodalitatis, cuius remanet membrum (1).

50. — Habemus igitur quod unica obligatio imposita, non tamen sub peccato, Confratribus Rosarii, est Rosarium qualibet hebdomada recitandum cum quindecim mysteriorum meditatione, ceteros insuper sodales mentis intentione complectendo « qui idem caritatis officium multiplicatum reddunt » (2). — Insuper ad hanc obligationem exsequendam, non opus est singulis vicibus intentionem renovare, sed sufficit semel eam facere, quin immo eo ipso quod aliquis in Confraternitatem sponte cooptari voluit, semper huiusmodi intentio adesse censetur. — Denique ipsa omissio Rosarii hebdomadarii non reddit ascriptum incapacem lucrandi Indulgentias Sodalibus Confraternitatis concessas nec eiusdem communibus bonis participandi, sed tantum privat indulgentiis expresse concessis Rosario hebdomadario (3), atque excludit a speciali participatione bonorum Confratrum. Ne credant tamen negligentes parum amittere se privando precibus et meritis tot millium christianarum animarum per totam terram diffusarum (4); cogitentque quod si talis omissio non ne-

(1) Cfr. *Statuta Fraternitatis Psalterii*, § II. — Etiam B. Alanus duas species meritorum distinguit in Confraternitate: alia quae proveniunt a Rosario quod quisque ex instituto recitare debet; alia vero a ceteris bonis operibus uniuscuiusque membri praesentis vel praeteriti. Qui officium suum negligit, prima merita amittit, non secunda (*Apologeticus*, c. 16).

(2) Constit. « *Ubi primum* », § I.

(3) *S. C. de Indulg.*, 25 Febr. 1877.

(4) Ioannes Lambsheim, canonicus regularis Hormatiensis, hac in re sic concludit: « Qui suum Rosarium omittit, excluditur a participatione Rosariorum illius hebdomadae. Quod autem haec sit parva poena, credat cui placuerit, sed mihi numquam persuadebitur, cum sciam quot devotissimi homines et foeminae annumerentur in *Confraternitate* » (*Libellus perutilis de Fraternitate SS. Rosarii*, Moguntiaci, 1495).

cessario ducit ad culpam, facile est ad eam pervenire incuria aut contemptu spiritualium mediorum quae nobis offeruntur ad nostram salutem comparandam; demum, quod nihil Domino magis displicet, quam tepiditas et negligentia in rebus spiritualibus.

§ VI. — *De Directore Confraternitatis.*

51. — *Director* vel *Rector* Confraternitatis Rosarii vocatur sacerdos, qui eidem praeest, eam moderatur atque diffundit. Ad ipsum pertinet, vi muneris, recipere fideles in Confraternitatem Albo nomina inscribendo, benedicere Coronas, Candelas et Rosas, quas vocant, Rosarii; omnia denique peragere quae in utilitatem et incrementum Sodalitatis cedere possunt (1).

Hinc est quod in ipso erectionis diplomate multa fiunt verba de Rectore Confraternitatis, multumque in eo confiditur, indicatis etiam praecipuis mediis, quibus ipse potest et debet fervorem in ascriptis fovere eorumque profectum adiuvare. Inter huiusmodi media unum recensetur numquam negligendum, videlicet *mensilis Processio* quam etiam Leo XIII in ultima de Rosario Constitutione magnopere inculcat (2). Quod si Rector erit simul Parochus loci, ut saèpe accidit, curabit etiam promovere et alere in omnibus paroecianis devotionem erga SS. Rosarium, saepe de eius praestantia et beneficiis verba

(1) Cfr. can. 698, § 2. — Antiquitus privilegium Directoris erat impertiri ascriptis *Absolutionem in articulo mortis;* sed hodie talis Absolutio dari potest a quocumque Sacerdote, etiam extra Confessionem (can. 468, § 2).

(2) « Admonemus eumdem pro tempore Rectorem, inter pios huius Confraternitatis usus primum locum obtinere processiones, quae prima cuiusque mensis dominica, praecipue vero prima mensis Octobris dominica ducuntur » (*Diploma erectionis*). — Cfr. melius infra, § IX, pag. 89.

faciendo, explicando mysteria, eius recitationem, in familia praesertim, inculcando. Sed, etiamsi Rector parochus non fuerit, non ei certe deerunt occasiones ad loquendum ascriptis et ad pia exercitia superius recensita suadenda, quando prima mensis dominica ad Conventum et Processionem congregantur (1).

Quod autem promoveant, quoad fieri potest, publicam in ecclesiis Rosarii recitationem, praecipitur Rectoribus ab ipso Summo Pontifice Leone XIII: « Sodalitatum Rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam saepissime, maxime in festis beatae Virginis, ad altare eiusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur » (2). Grates Deo sint quod hodie multis in locis iam revixerit magisque in dies invalescat pulchra consuetudo fideles in ecclesia omni vespere convocandi ad communem SS. Rosarii recitationem!

Quod sicubi difficile sit Rectori cotidie ad Rosarii recitationem convocare ascriptos, sataget saltem ut ter in hebdomada congregentur ut hebdomadariae recitationi Rosarii ascriptis praescriptae facilius satisfaciant. Praxis recitandi communiter Rosarium hebdomadarium obligatorium valde in usu esse debuit elapsis temporibus pro confratribus: nam etiam in illis locis ubi nullum Sodalitatis vestigium amplius existit, remansit tamen praxis recitandi Rosarium in ecclesia certis hebdomadae diebus.

Rectoris cura erit quoque ascriptos opportuno tempore commonefacere dierum specialis devotionis pro Confraternitate, uti quando aliquod Rosarii

(1) Cfr. *Ros. Mem. Dom.*, a. 1905, pag. 332.
(2) Constit. « *Ubi primum* », § XIII.

mysterium recolitur et praecipua Festa Beatae Virginis, non omissa mentione indulgentiarum quae illa die lucrifieri possunt.

Uno verbo, Rector est caput, Ascripti autem membra illius corporis mystici quod est Confraternitas Rosarii; ab eo descendere debet et effluere fervor et vita in ascriptos sicut e capite physico descendit et propagatur vita in cetera corporis membra; ad illum igitur efficere, dicamus cum Summo Pontifice Leone XIII, ut « noscat populus atque ex veritate aestimet quantum in ea Sodalitate virtutis sit, quantum utilitatis ad aeternam hominum salutem » (1).

52. — Rector Confraternitatis expresse renuntiatur in erectionis Diplomate a Generali Magistro Dominicanorum, ad quem spectat, nunc sicut antea, electio Rectorum, « de consensu tamen Ordinarii loci, pro ecclesiis clero saeculari concreditis » (2). « *Nunc sicut antea* », diximus; quia dispositio can. 698, § 1, circa renuntiationem Directoris seu Moderatoris Associationum vel Confraternitatum, non respicit Sodalitatem Rosarii, cum in hac re gaudeat ipsa speciali et expresso privilegio apostolico, prout colligitur ex § VIII Const. « *Ubi primum* ».

Nihilominus duo dubia hic opportune agitari possunt: 1° *Si Ecclesia commissa est non clero saeculari, sed religiosis, haud tamen dominicanis, requiriturne consensus Episcopi ad nominationem Rectoris?* — Nobis *negandum* esse videtur; etenim casus resolvi debet, ut superius diximus, non ad normam Codicis, sed iuxta Const. « *Ubi primum* » in qua consensus Episcopi requiritur ad Rectorem designandum

(1) Encycl. *Augustissimae Virginis Mariae*, 12 Sept. 1897.
(2) Constit. « *Ubi primum* », § VIII.

unice cum agitur de ecclesiis « clero saeculari concreditis » (Const. « *Ubi primum* », § VIII).

2° *Si in aliqua Dominicana ecclesia vel cuiuscumque alterius religiosi Ordinis, officium Rectoris Confraternitatis Rosarii demandetur alicui sacerdoti e clero saeculari, requiritur consensus Episcopi?* — Respondendum videtur *affirmative:* ratio est quia Const. « *Ubi primum* » hunc casum non contemplat, qui e contra contemplatur a Codice, can. 698, § 1; ergo standum est Codici, qui requirit consensum Episcopi.

53. — « Quo autem Sodalitati conservandae melius prospiciatur, Magistri Generales, — monet Summus Pontifex, — ei Rectorem praeficiant sacerdotem aliquem, in ecclesia ubi est instituenda Sodalitas, certo munere fungentem vel certo fruentem beneficio, illiusque in hoc sive beneficio sive munere in posterum successores » (1). Rectoris munus ita numquam vacabit, et Confraternitas manebit semper in plena suorum iurium et beneficiorum possessione (2). Etenim non raro contingit, maxime ubi Confraternitas ad modum organici corporis est constituta, ut sacerdos aliquis, vocatus a Confratribus ad Cappellani munus in Sodalitate explendum, ipso facto sibi arroget partes Rectoris Confraternitatis; quod in damnum existentiae ipsius Confraternitatis plerumque cedit. Successor namque in munere Rectoris ille solus haberi debet, qui designatur ut legitimus successor in diplomate erectionis, et non aliter.

Quod si, quavis de causa, Rector Confraternitatis deficiat, nec legitimus successor haberi possit, tunc

(1) Constit. « *Ubi primum* », § VIII.

(2) Pro Confraternitatibus in ecclesiis Dominicanorum erectis, Rector est semper Superior pro tempore conventus (*Const. Ord. Fratr. Praedicatorum*, Dist. I, declar. XVII).

« Episcopis, ait S. Pontifex Leo XIII in § VIII Const. « *Ubi primum* », uti iam est ab hac Apostolica Sede sancitum (1), facultas esto ad id muneris deputandi parochos *pro tempore* ». En ergo duplex modus in istis casibus adhibendus: *aut* petere a Generali Dominicanorum ut denuo designet Rectorem Confraternitatis eiusque in posterum successores, *aut* recurrere ad Episcopum; hoc autem interest inter unum alterumque procedendi modum, quod Magister Generalis quemcumque maluerit designare potest; dum Episcopus non potest id munus conferre nisi Parocho *pro tempore*, eiusque successoribus (2).

54. — Haud raro tamen « peropportunum, quin etiam necessarium (esse potest), ut sacerdos alius legitimi rectoris loco nomina inscribat, coronis benedicat aliaque praestet, quae ad ipsius rectoris officium pertinent » (3). Ut huic quoque necessitati prospiciatur « Ordinis Magister Rectori facultatem tribuat subdelegandi, non generatim quidem, sed in singulis casibus, alium idoneum sacerdotem, qui eius vices gerat quoties iusta de causa id opportunum iudicaverit » (4). Hinc est quod in novis diplomatibus erectionis haec leguntur: « *Novae Confraternitatis Rectorem nominamus et facimus dictae Ecclesiae Rectorem et omnes eius in hoc munere in posterum successores. — Tribuimus autem eidem Rectori* (secund. Constit. SS. D. N. Leonis XIII, § IX), *facultatem subdelegandi, non quidem generatim, sed in singulis*

(1) *S. C. Indulg.*, die 8 Ian. 1861.

(2) *S. C. Indulg.*, die 16 Iul. 1887, *ad primum:* ubi declaratur quod Episcopus eiusmodi nominationem ita facere potest ut, quisquis sit etiam in posterum parochus illius Ecclesiae, sit pariter Rector Confraternitatum ibi existentium.

(3) Const. « *Ubi primum* », § IX.

(4) Const. « *Ubi primum* », § IX.

casibus, alium idoneum sacerdotem, qui eius vices gerat, quoties iusta de causa id opportunum iudicaverit ».

Quod igitur, iuxta vigentes leges, possit Sodalitatis Rector suas vices committere alii idoneo Sacerdoti, nullam habet dubitationem; sed non omnino caret difficultate decernere *quando* hoc legitime fieri possit. Etenim tam in Constitutione Pontificia « *Ubi primum* » quam in erectionis Diplomate datur facultas Rectori subdelegandi « non generatim, sed in singulis casibus », et « iusta de causa ». Quaenam haec iusta causa? Quid per pericopen « non generatim sed in singulis casibus » intelligendum est? Cum nequeamus authenticis responsionibus haec dubia solvere — deest adhuc hac in re quaevis S. Congregationis declaratio — libenter accipimus explicationem quam tradit optimus quidam interpres Constitutionis « *Ubi primum* » ad § IX.

« Verba, *non generatim, sed in singulis casibus*, multorum animos — inquit ille — vehementer commoverunt, nec pauca dubia ingessere. Re quidem vera, si intelligenda essent sicut primo obtutu intelligenda videntur, videlicet Rectorem, quoties sibi impossibile aut incommodum caderet aliquem sui muneris actum peragere, tunc tantum posse delegare, et quidem expresse, alium sacerdotem, fatendum est haud leves difficultates esse paritura. Etenim, quoties eo absente advenirent fideles ad proprium nomen Sodalitati dandum, vel ad benedictionem coronis obtinendam, Rector, utpote absens, piis hisce desideriis satisfacere non posset, nec alius sacerdos, cum impossibile sit expressam delegationem in singulis casibus inopinate obvenientibus obtinere ab eo qui praesens non adest. Itaque, cum intentio Summi Pontificis sit certissime *facilem reddere* Rectori exe-

cutionem sui officii in commodum fidelium, et non eam *implicare*, opinor, donec contrarium decernatur, Rectorem satisfacere conditioni impositae si *semel pro semper* enumeret alii sacerdoti singulos casus in quibus, suo iudicio, adest legitima causa cur ille per delegationem vices Rectoris gerat. Quidquid sit, planum est verba *iusta de causa* non stricte, sed benigne sumi debere » (1).

55. — Rector Confraternitatis potest semper, ex iusta causa, revocari a P. Generali Dominicanorum et ab aliis substitui (c. 698, § 2). Item Rector potest esse simul etiam Cappellanus Confraternitatis, dummodo semper prae oculis habeatur, quod aliud est esse Rectorem Confraternitatis, aliud Cappellanum. *Rector* est ille qui Sodalitati praeest, eius curam agit eamque diffundere studet; *Cappellanus* vero, qui designatus fuit ad servitium religiosum, quod Confraternitas in propria Ecclesia aut Cappella peragere intendit, uti Missam celebrare, quasdam functiones facere, Processionibus interesse, etc...; quorum munerum si distincta ratio non retineatur, praeiudicium facile afferri potest ipsi regulari et legitimo Sodalitatis progressui (Cfr. supra, pag. 76, n. 53).

56. — Denique notandum Rectorem, eo quod omnibus facultatibus superius enumeratis gaudet *vi sui muneris*, iis uti non posse nisi in loco ubi instituta est Confraternitas, — cum Rosarii Confraternitas sit associatio in *loco determinato* erecta, — et donec in Rectoris munere perseveret. Intra tamen sui territorii fines,

(1) P. Ceslao Carones, O. P., *La Costituzione Apostolica* « Ubi primum » in *Rosario. - Mem. Domenicane*, anno 1899, p. 378.

potest ascriptos recipere ex quacumque mundi parte proveniant, etiam per epistolam; item potest *coronas benedicere* ceterasque Rosarii benedictiones impertiri, etiamsi agatur de personis in Confraternitatem non cooptatis (1).

§ VII. — *De Consilio directivo seu de administratione Confraternitatis.*

57. — De *Consilio administrativo* seu de administratione loqui dum de Confraternitate SS. Rosarii agitur, in qua non solum quisque potest sed debet, sine exceptione, *gratuito adscribi*, et in qua ab uno Directore omnia dependent, inopportunum videri posset: at non ita. Nam, si absolute praescribitur ut Sodalitati praesit semper Director seu Rector in erectionis Diplomate designatus, nil impedit quominus Director iste in promovendo Confraternitatis bono a sodalibus prae ceteris zelo flagrantibus adiuvetur. Item, si expresse vetitum est taxas exigere fidelibusque aliquid solvendum imponere actu quo in Confraternitatem ascribuntur et vi huius ascriptionis, minime prohibetur ab iisdem vel ab aliis liberas oblationes recipere, dona, legata ad splendidiorem caelestis Patronae cultum promovendum, ad eiusdem praecipua Festa honestiori pompa celebranda, ad specialia christianae pietatis opera exercenda in bonum membrorum ipsius Sodalitatis aut aliorum, et maxime in defunctorum suffragium. Valde utile foret in lucem proferre eximia religionis et caritatis opera elapsis temporibus instituta et conservata, a

(1) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, c. III, n. 53. — Cfr. etiam can. 698, § 2.

Confraternitatibus Rosarii, et ultimis hisce populorum perturbationibus ex toto vel ex parte pessum data. Memorare sufficiat *Romanam Confraternitatem a Rosario* in ecclesia *S. Mariae supra Minervam*, quae non modo cultui SS. Virginis Rosarii magnificentissime providebat, sed et quam plurimas Missas celebrandas curabat in suffragium defunctorum confratrum: insuper quotannis plus quam centum pauperes puellas dotabat, ex illis pauperibus familiis praecipue electas, quarum membra ad communem Rosarii recitationem in Cappella Sodalitatis assidue conveniebant (1).

Itaque, nedum possibile, sed optimum quidem erit et traditione receptum, quin tamen praescriptionibus Summorum Pontificum quidquam derogetur, ut sodales Confraternitatis, omnes aut saltem animo libentiores, praeter beneficia Confraternitatis propria, in eiusdem incrementum speciales fines sibi praefigant in proprium aut proximorum commodum. Sic, e. g., poterunt inter se convenire confratres de Missa singulo quoque ascripto decedente celebranda, et de *Missa sollemni* in suffragium omnium ascriptorum infra octavam Rosarii; vel etiam de eligendo, in communi coemeterio, particulari sepulchro, sicut aliae complures Sodalitates consueverunt; vel denique de auxilio ferendo cuicumque alii pietatis et caritatis operi quod magis idoneum videatur, uti infirmis succurrere, christianas scholas liberis ascriptorum educandis alere, bonos libros diffundere, iuvenes puellas dotare, denique omnes illos caritatis et apostolatus actus exercere qui ad proprium et alienum bonum conferre valent.

(1) Ferrucci, *Trattato di tutte le opere pie di Roma*, Roma 1601, p. 221.

Ad quae omnia praestanda palam est non solum licere dona et oblationes recipere, sed etiam annuam mensilemve taxam constituere, solvendam a confratribus, qui sponte velint specialibus hisce Sodalitatis operibus participare; quae quidem opera, ut diximus iam, necessaria minime sunt ut Confraternitas ipsa subsistat cum omnibus privilegiis quae a Summis Pontificibus fuere concessa; sed eiusdem sunt veluti pulchra et gloriosa additamenta.

Exinde ergo necessitas particularis *Statuti* adiungendi Statuto generali Confraternitatis, et *Consilii directivi* seu administrationis, quod sub Rectoris dependentia occupetur in bonis Sodalitatis administrandis, in eiusdem adimplendis obligationibus, demum in omnibus specialibus operibus providendis quae in Statutis contemplantur. Codex Canonici Iuris notat (can. 717, § 2) quod si Confraternitas erecta in Ecclesia non sua habeat proprium patrimonium, hoc debet esse bene distinctum a bonis fabricae Ecclesiae; idem dic si Ecclesia ubi erecta est Confraternitas sit simul paroecialis; nam etiam tunc patrimonium Confraternitatis separatim a bonis paroeciae asservari debet.

58. — Quae autem esse debeant munia huius Consilii et singulorum officialium, Prioris videlicet, Consiliariorum, Custodis thesauri, Secretarii, etc. non pro Confraternitate huius illiusve loci, sed generatim pro omnibus Rosarii Sodalitatibus, non est tam facile negotium determinare, cum valde inter se differant opera quae singulae Sodalitates alenda suscipere possunt, ipsaeque consuetudines maxime varientur pro varietate regionum. Quamobrem ipse S. Pontifex Leo XIII, decretis quae quamlibet Rosarii Confra-

ternitatem attingunt, plenam relinquit Sodalibus libertatem « *statuta* sibi condendi sive quibus tota regatur societas, sive quibus aliqui ad peculiaria quaedam christianae pietatis officia, collata etiam pecunia si placuerit, saccis assumptis vel secus, excitentur » (1).

Attamen duae sunt conditiones necessario observandae in huiusmodi *Statutis* conficiendis:

a) Nihil omnino derogandum est Statutis generalibus Confraternitatis, idque potissimum in iis quae ascriptionem plane gratuitam respiciunt, sedulo monitis adscribendis plenam relinqui libertatem contrahendi vel secus speciales obligationes a Statutis particularibus Sodalitatis impositas.

b) Huiusmodi Statuta Episcopo probanda tradi debent, antequam vim ullam exserere possint (2): Episcopo, dico, et non Vicario Generali, qui ordinaria sui officii auctoritate, non potest haec Statuta approbare (3); neque Vicario Capitulari, qui ab istis rebus, iuxta normas S. Congregationis, praestat ut *se abstineat* (4).

In praxi suadendum est ut Directores qui debent pro sua Confraternitate Statuta particularia condere, assumant ut normam Statuta iam approbata alterius Sodalitatis, e. g. *Antiqua Statuta Confraternitatis a Rosario erectae Romae in Ecclesia S. Mariae supra Minervam;* vel *Societatis Florentinae S. Mariae Novellae* (5).

Itaque, recogitando ea quae anteactis temporibus

(1) Constit. « *Ubi primum* », § VII.
(2) *Ibidem.*
(3) *S. C. Indulg.*, 20 Iul. 1868, 18 Aug. 1868.
(4) *S. C. Indulg.*, 28 Nov. 1878.
(5) Cfr. *Rosario. - Mem. Domenicane*, a. 1886, pagg. 301, 433, 475; a. 1903, pagg. 325, 378, 437.

circa pietatis et beneficentiae opera in sinu ipsius Confraternitatis SS. Rosarii tam opportune acta sunt, fas sit nobis brevem commentationem adiungere; scilicet quod hodie tenditur ad disiungendam, plus quam aequum sit, beneficentiam christianam a religione et ab Ecclesia, dum vera in proximum caritas nil aliud est quam pars practica religionis: ab Ecclesia nasci et ad Ecclesiam redire debet. Domus Dei fuit et semper erit etiam domus panis; seu, aliis verbis, praeter privatam fidelium caritatem, caritas quoque publica et officialis decet quam maxime Ecclesiam quae, pauperes cum religione arte coniungens, factis ostendit in se ipsa tantum reperiri centrum fontemque inexhaustum caritatis. Sicut igitur antea validissimam in hoc tulerunt operam Sodalitates, ita et nostris temporibus, per ipsas vel id genus associationes, possit Ecclesia vitae publicae spiritum christianae caritatis ingerere; tunc enim ipsum verbum eius magis adhuc proficuum ad egenorum multitudinem perveniet, utpote quod roborat beneficentia, quae est actus caritatis christianae.

§ VIII. — *De Sacello, Altari et Tabula (picta) Confraternitatis.*

59. — In Diplomate erectionis Confraternitatis a SS. Rosario scriptum legimus: « Volumus... et omnino observari iubemus, ut in Cappella vel Altari, eidem Confraternitati a delegato sacerdote nomine nostro addicendo, imago S. Patris nostri Dominici flexis genibus de manu Deiparae Virginis Rosarium recipientis apponatur ». Mentio fit, uti patet, de *Cappella*, de *Altari* et de *Imagine Reginae SS. Rosarii:*

de quibus rebus cum nondum verba fecerimus, opportunum ducimus in huius quoque ordinationis momento et vi paulisper immorari.

In primis iustum profecto est et practice utile ut Confraternitas Rosarii, ad instar cuiusque piae associationis, habeat in Ecclesia, ubi erecta est, propriam *Cappellam*. Sane, sicut templum est pro omnibus fidelibus specialis ille locus qui divino cultui et orationi reservatur; ita et Cappella est pro ascriptis regia suae Dominae et Reginae, locus in quo, prae ceteris, omnes intimius se fratres sentiunt, et in quo oratio, communiter vel privatim facta, videtur magis devota et efficax ad Dei Matrem ascendere. Accedit quod indulgentias plurimas et privilegia Sacello Confraternitatis a Rosario Summi Pontifices concesserunt, ut infra videbimus (Cfr. cap. V, § 3).

60. — Nihilominus, quamquam optimum est ut Sodalitas habeat propriam Cappellam ad suas functiones et exercitia peragenda, manifestum est id plerumque fieri non posse, vel quia ecclesia ubi erigitur Confraternitas non habet Cappellas, vel, si quas habet, omnes iam consecratae sunt et sub aliis titulis dedicatae. In utroque casu necesse est ut Sodalitas, si non Cappellam, habeat saltem *proprium altare;* et tunc pro Cappella Rosarii habebitur Ecclesia ipsa ubi erecta est Confraternitas, vel potius quaelibet Ecclesiae pars unde altare Confraternitatis visibile maneat. Altare autem Confraternitati addicendum semper aderit, eo magis quod idem Altare potest pluribus Confraternitatibus ut proprium designari (1); quamvis hoc, ut in pluribus, non expediat,

(1) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii,* vol. I, cap. XIII, n. 230.

propter litigia et inutiles quaestiones, quibus cappellarum aut altarium inter Sodalitates communitas solet ansam praebere.

61. — Ad Sacerdotem ad Confraternitatis erectionem deputatum determinare spectat quaenam Cappella vel quodnam Confraternitatis altare haberi debeat; quam determinationem ipse debebit in Instrumento erectionis diligenter adnotare (1).

Animadverte tamen quod, etsi designatio huiusmodi fuerit omissa in actu erectionis Sodalitatis, poterit semper fieri postea ab ipso Directore Confraternitatis; imo plena datur Directori facultas, quin recurrere debeat ad Generalem Magistrum Dominicanorum vel ad S. Sedem, transferendi Sodalitatem Rosarii ab una in aliam Cappellam, designandi unum altare potius quam aliud, dummodo hoc semper fiat *intra eamdem ecclesiam* et moneantur ascripti ceterique fideles, quorum valde interest scire quale sit altare Sodalitatis ad lucrandas indulgentias ipsi annexas (2).

62. — Qua de causa Cappella aut Altare Rosarii debet semper habere suum insigne, quod erit, ut expresse praecipit Diploma erectionis, *Imago* picta vel sculpta SS. Virginis sancto P. Dominico Rosarium

(1) Cfr. formulam *instrumenti erectionis* quod mittere solet P. Generalis, replendum ab eo qui Confraternitatem est erecturus.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. 13, n. 231. — P. Esser in suo libro *Le S. Rosaire etc.* c. XIII, p. 484, videtur contrariae sententiae, hoc facto fretus quod Dominicani urbis Victoriae in Hispania, ad transferendam Confraternitatem et imaginem Rosarii ab una Cappella in aliam eiusdem ecclesiae, petierunt et impetrarunt Bullam pontificiam. — Nos secuti sumus *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii;* ceterum Sodalitas non erigitur a Rev.mo P. Generali in una cappella aut ad unum altare exclusive, sed *in tali ecclesia;* iam vero mutare Cappellam vel Altare non est mutare ecclesiam.

porrigentis. Antiquitus Diploma erectionis exigebat ut circa tabulam aut in parietibus Cappellae exprimerentur etiam quindecim Rosarii mysteria, idque sub poena nullitatis. Praxis quidem optima; at quia fortasse difficultates pariebat in erigendis Sodalitatibus, S. C. Indulgentiarum plus semel declaravit id amplius non requiri. Quod autem attinet ad ipsam Imaginem Rosarii, consuetudo eam collocandi in Cappella aut in Altari Rosarii, est certe laudabilis atque servanda, non tamen ut conditio essentialis ad canonicam erectionem Confraternitatis (1). Neque magis necesse est ut dicta Imago collocetur absolute super Altare, quod tamen, sive ut tabulae principali, sive ut secundariae, est locus eius naturalis: sufficit, si Altare est iam aliis Sanctis dicatum, ut Imago Rosarii suspendatur parietibus Cappellae aut prope Altare (2); cavendo semper ne auferatur ab uno Altari vel Cappella Imago aliqua antiqua et culta, praesertim B.mae Virginis, ut locus fiat novae Tabulae Rosarii. Quod si neque Cappella, neque Altare, neque ipsa Tabula consecrari possit SS. Virgini a Rosario, non ideo Confraternitas legitime erecta cessat, cum minime sub poena nullitatis haec praescripta intelligantur.

63. — In Ecclesiis ubi erecta est Confraternitas, altare SS. Rosarii est *privilegiatum* non modo pro defunctis Confratribus, verum etiam pro quocumque defuncto, dummodo Sacerdos celebrans Sodalitati fuerit ascriptus. Immo, si in ecclesia desit aliud altare privilegiatum, altare SS. Rosarii manet *privi-*

(1) *S. C. Indulg.*, 25 Sept. 1845, 31 Ian. 1848. — Post huiusmodi declarationes S. C., abrasa sunt a *Diplomate* erectionis verba quae referebantur ad quindecim mysteria Rosarii, illis dumtaxat relictis quae iniungunt ut in Cappella vel Altari Sodalitatis collocetur tabula Rosarii.

(2) P. Esser O. P., *Le S. Rosaire etc.*, c. XIII, p. 435.

legiatum pro quocumque Sacerdote, etsi Confraternitati non aggregato, et pro quovis defuncto (1).

Iam vero sciendum est *Altare privilegiatum* illud vocari cui benigna S. Sedis concessione, annexa est Indulgentia plenaria defunctis, ut in pluribus, applicanda pro omni Missa quae ibidem celebratur; adeo ut, si spectetur intentio concedentis, nempe Romani Pontificis, et summa clavium potestas, propter indulgentiam *Altari privilegiato* annexam anima pro qua applicatur Missa deberet ab omnibus Purgatorii cruciatibus illico liberari. Non est igitur parvi momenti huiusmodi favor *Altaris privilegiati;* qui ideo excitare debet sive sacerdotes ascriptos ad celebrandum quam saepissime ad altare Confraternitatis, sive fideles ad exquirendum a sacerdotibus ut Missae in suffragium defunctorum suorum, frequentius quam fieri poterit ad dictum altare celebrentur (2).

64. — Etiam notandum, quod si Confraternitas habeat Ecclesiam aut oratorium proprium, potest ibi omnes functiones non paroeciales exercere independenter a parocho, dummodo tamen paroeciali ministerio non noceant. Idem dicatur in casu quo Paroecia erecta sit in ipsa Confraternitatis ecclesia (can. 716, §§ 1 et 2). — Si, contra, Confraternitas non habet ecclesiam aut oratorium proprium sed tantum Cappellam, in hac dumtaxat habet ius exercendi proprias functiones (can. 717, § 1); quod si conflictus oriatur aut dubium, utrum functiones a Sodalitate

(1) Cfr. infra, c. V, § 3: *Index Indulgentiarum Rosarii* a S. Sede approbatus.

(2) In Ecclesiis Dominicanorum, ob concessionem Benedicti XIII, (Const. «*Exponi nobis*», 22 Sept. 1724) omnia altaria privilegiata sunt, cum Sodales Ordinis celebrant, pro omnibus fidelibus, etiam si Confraternitati non sint ascripti.

in propria Ecclesia vel Cappella peractae, nocumentum afferant necne ministerio paroeciali, ad Ordinarium loci spectat et non ad Parochum, ius definiendi quaestionem et statuendi practicas normas servandas (can. 716, § 3).

§ IX. — *De Processione et Conventu mensili.*

65. — « Inter pios Sodalitatis usus, inquit Summus Pontifex Leo XIII in Constitutione « *Ubi primum* », § XIV, merito primum obtinet locum pompa illa solemnis, qua, Deiparae honorandae causa, vicatim proceditur, prima cuiusque mensis dominica, praecipue vero prima octobris; quem morem, a saeculis institutum, S. Pius V commendavit, Gregorius XIII inter *laudabilia instituta et consuetudines* Sodalitatis recensuit, multi denique Summi Pontifices Indulgentiis locupletarunt » (1).

Dulcis profecto est commoratio in templis, ubi inter faculas ardentes, incensi nubes, cantuum modulamina, Dei maiestas dominatur; ubi sacri ipsi muri nos a caducarum rerum clamoribus abstrahendo ad adorandum et colendum Deum impellunt. Sed fervor cordis, praesertim universi populi, in orationis exsultatione indiget aliquando ex ipsa Dei domo egredi, canticis vel lamentationibus immensum caeli replere fornicem, qui unus aptus ei videtur ad suam laetitiam pietatemque continendam. Sicque hymnus *Te Deum laudamus*, in medio naturae templo voce populi decantatus, aut poenitentialis psalmus *Miserere*, qui per urbes flagellis desolatas submisse

(1) S. Pius V, « *Consueverunt* », 15 Sept. 1569; Gregorius XIII, « *Monet Apostolus* », 1 Apr. 1573; Paulus V, *Piorum Hominum*, 17 Apr. 1608.

iteratur, efficiunt religiosas Processiones exsultationis aut poenitentiae, quarum sacra sublimitas haud raro ingenia poëtarum excitavit (1).

66. — Processiones, quas Summus Pontifex Leo XIII fieri desiderat a Sodalitatibus Rosarii, publice, ubi leges sinunt — intra Ecclesiam ubi temporum iniuria extra non licet (2) — non solum eiusmodi religiosarum Processionum sublimitatem et poësim redolent, sed etiam sunt summi momenti in historia Ecclesiae propter memorandos triumphos quos in anteactae aetatis calamitatibus populus christianus reportavit, praesertim de Turcis, qui invasionibus et iniuriis superbiebant. O quot prosperi eventus per Rosarii processiones christianum populum beneficiis cumularunt! Celebris exstat, inter alios, navalis victoria ad Naupactum de Turcis a christianis reportata die 7 Octobris anni 1571; quae mirum in modum cognita est a S. Pio V Romae, eo ipso momento quo ad Naupactum christianorum acies triumphabant, quaeque unanimi consensu Rosarii processionibus, eo die per totum orbem christianum ductis, attributa est.

Nec silentio sunt praetereundi triumphi ad Temeswar seu potius ad Peterwardein in Pannonia et ad Corcyram insulam de Turcarum tyrannide relati, dum Romae eiusdem Summi Pontificis iussu agebantur solemnes Processiones ad impetrandam a Virgine Deipara, *terribili ut castrorum acie ordinata*, finalem victoriam (3).

(1) Confer. Sylvium Pellico, *Le Processioni*, in *Opere complete*, Napoli 1884, pag. 240.

(2) Decr. *Urbis et Orbis*, 20 Aug. 1885, et Constit. « *Ubi primum* », § XIV.

(3) Clemens XI, *Cum alias*, 3 Oct. 1716; *Bullar. Ord. Praed.*, vol. VI, pag. 508.

67. — Qui quidem eventus causa fuerunt cur Clemens XI ad totam Ecclesiam extenderet annuum diem festum SS. Rosarii, iam a Gregorio XIII institutum, in memoriam victoriae ad Naupactum reportatae, pro solis ecclesiis et cappellis, quae a Rosario nomen mutuarentur (1). Insuper Summi Pontifices, ob innumera a SS. Virgine, processionibus Rosarii publice culta, accepta beneficia, plenariam indulgentiam largiti sunt omnibus membris Confraternitatis, qui iisdem intersint (2), collatis quoque Sodalitati *specialibus iuribus*, quo facilior in dies harum Processionum praxis reddatur. Dum enim ad faciendas alias processiones requiritur generatim consensus Ordinarii (can. 1293), Confraternitas a Rosario iure gaudet processionaliter incedendi per *publicas vias* sine ulla praevia licentia sive Parochorum sive ipsius Ordinarii; hic habet ius, si voluerit, statuendi vias percurrendas; quae tamen semel statutae, semper statutae manent (3). Pariter Confraternitas potest interesse, quin ulla licentia indigeat, aliis processionibus et defunctorum exsequiis et quidem cum propriis insignibus seu cum *sacco* et cruce elevata (4);

(1) Gregorius XIII, *Monet Apostolus*, 1 Apr. 1573; *Bullar. Ord. Praed.* vol. V, pag. 318; Breviarium Ord. Praed., *Officium SS. Rosarii*, Dom. I Oct., lect. VI.

(2) Gregorius XIII « *Ad augendam* », 24 Oct. 1577; Leo XIII, *Index Indulgentiarum Rosarii*, part. I, § III, n. 19. — Cfr. *Rosario. - Memorie Domenicane*, anno 1903, pag. 408.

(3) *Decretum* S. Congr. Episc. et Regul., 24 Apr. 1582; Clemens VIII; *Decet Romanum*, 27 Aug. 1597; Benedictus XIII, *In supremo*, 10 April. 1725; *Pretiosus*, 26 Maii 1727; Clemens XII, *Cum sicut*, 10 April. 1733; *S. C. Episcop. et Reg.*, 18 Maii 1640; 7 Aug. 1716; 18 Iul. 1726. — Cfr. quoque *Bull. Ord. Praedicat.* vol. V, pag. 543; vol. VI, pag. 508, 556, 598, 619, 733; vol. VII, pag. 30, 260; vol. VIII, pag. 543.

(4) Cfr. S. Pium V, « *Inter desiderabilia* », 29 Iunii 1569; *Bullar. Ord. Praed.*, vol. V, pag. 214. — Pellizzarium, *Manuale Regularium*, tom. II, tract. 8, cap. 5, sect. 6, n. 285. — Bassi, *Tractatus de Sodalitiis*, seu *de Confraternitatibus*, q. I, nn. 2 et 10. — Pignatelli, *Consultationes canonicae*, tom. VIII,

processionibus vero ab Ordinario indictis interesse tenetur (can. 718).

68. — Ne autem huiusmodi Processio, in prima cuiusque mensis Dominica (1) peragenda, umquam omittatur, saltem intra ecclesiam ubi temporum iniuria extra non liceat, Summus Pontifex Leo XIII dignatus est extendere ad omnes Sodalitatum SS. Rosarii Rectores privilegium iam a Benedicto XIII Ordini Praedicatorum concessum, eam transferendi in aliam Dominicam, si forte ipso die in quem incidit aliqua causa impediatur (2). Quod si « propter loci angustiam et populi accursum ne per ecclesiam quidem possit ea pompa commode duci, indulgemus ut per interiorem ecclesiae ipsius ambitum, sacerdote cum clericis piae supplicationis causa circumeunte, Sodales qui adstant, Indulgentiis omnibus frui possint eidem supplicationi adnexis » (3). Plura a Summis Pontificibus praestari non poterant ad sodales Confraternitatis excitandos, ut menstruae Processioni intersint; maior inde fervor in omnibus adscriptis desiderandus est ut, aliis deficientibus, memoria saltem conservetur solemnium praeteriti temporis supplicationum, neve uberes earum fructus amittantur.

69. — Animadvertere hic forsan iuvat quanta cum utilitate et ascriptorum profectu Rector Sodalitatis,

consult. 83, n. 82. — MONACELLI, *Formularium fori Eccl.*, p. I, tit. VI, ad form. 11, nn. 5, 6, 7, ubi movetur etiam quaestio: « utrum Sodalitas Rosarii cogi possit ut intersit aliis publicis processionibus ».

(1) *Prima mensis Dominica* intelligitur, in casu nostro, ea quae incidit in primum diem mensis, aut quae huic proxime succedit.

(2) Const. « *Ubi primum* », § XIV.

(3) *Ibidem.*

aut alius pro eo, ante vel post Processionem, aliqua verba faceret adstantibus ad modum brevis *instructionis* de ipso Rosario, explanando praesertim quindecim mysteria et applicando vitae practicae salutaria documenta quae nobis ex exemplis Iesu et Mariae proveniunt. Haec brevis instructio vel collatio singulis mensibus ascriptis habita, ut multis in locis obtinuit, quam maxime confert ad fovendum et augendum animi fervorem, zelum de communibus negotiis Sodalitatis, desiderium magis magisque proficiendi in virtutum exercitio; cum scopus Sodalitatis sit non tantum plures personas colligere sub vexillo Reginae SS. Rosarii ut earum preces ascendant unitae ad solium usque Virginis Deiparae faciliusque exaudiantur; sed etiam sanctificatio spiritus cotidiana virtutum praxi, earum potissimum quae magis in vita Iesu et Mariae relucent, et quas nos Rosarii recitatione mente pervolvimus; necnon gustus verae devotionis et pietatis acquirendus. Quae omnia cum magni momenti sint in vita christiana, a Rectore Sodalitatis rite explicata secundum documenta Rosarii, non possunt ascriptorum corda non penetrare, et spiritualis profectus miros effectus producere.

Praeterea, Rectori quibusque mensibus parvam instructionem habenti, occasio dabitur ascriptorum in memoriam revocandi dies specialis devotionis pro Confraternitate, ut in quibus recolitur memoria alicuius mysterii Rosarii vel praecipua festa Beatae Virginis celebrantur: dies quoque ad Stationes visitandas destinatos: eosque exhortandi ne tam pulchras occasiones amittant bonum faciendi lucrandique Indulgentias ipsis concessas.

Oh, quot tunc beneficia secumferet menstruus iste

conventus! Et quot fructus sibi inde repromittere poterunt illarum Sodalitatum Rectores, qui hoc fideliter et studiose peregerint!

CAPUT IV.

De Devotionibus annexis.

§ I. — *De Rosario Perpetuo.*

70. — Vera devotio, sicut caritas, inexhauribilis est. Ingeniosa valde et in exitu saepe felix, tot manifestationibus christiani cultus scit semper, cum opus sit, novas et magis opportunas adiungere, dummodo Deus honoretur et accrescant in cordibus fides et caritas. Sic videmus etiam devotionem erga Mariale Rosarium sese evolvere variasque, saeculorum decursu, induere formas, a *Confraternitate* proprie dicta ad *Rosarium Perpetuum*, *Rosarium Vivens*, *Quindecim Sabbata Rosarii.*

Cum iam sat fuse egerimus de Confraternitate, quae prima forma est sub qua devotio erga Rosarium plurimum profecit, reliquum est ut breviter etiam de aliis disseramus. A *Rosario Perpetuo* initium sumimus.

71. — *Rosarium Perpetuum* est quod recitatur singulis diebus, singulis diei et noctis horis, sine cessatione, opera cuiusdam Associationis quae constat ex ferventioribus ascriptis Confraternitati. Hi sibi eligunt horam vel horas in quibus unusquisque se obstringit ad recitandum integrum Rosarium, ut recitatione alterna nec umquam intermissa Coronae,

continenter ascendat de terra ad solium Mariae mysticarum rosarum odor, iuxta illud Scripturae: *in die clamavi et nocte coram te* (1); qui clamor semper in caelis exauditur.

Institutio Rosarii Perpetui ascendit ad primum dimidium saeculi decimi septimi, nempe ad annum circiter 1635. Prima idea tribuitur communiter P. Petronio Martini (2), viro sanctitate claro conventus Bononiensis Ordinis Praedicatorum, qui « cum cuperet, prout refert P. Demora (3), ut Virgo Maria diu noctuque sine intermissione laudaretur, kalendis ianuariis anni 1635 edidit (o sanctum, laudabile, caritativum et fructuosum inventum!) Rosarium Perpetuum in Ecclesia Bononiensi ». Attamen magis videtur historicis documentis conforme verum conditorem Rosarii Perpetui exstitisse, semper eodem anno 1635, Patrem Timotheum Ricci, florentinum ex Ordine Praedicatorum et S. Catharinae de Ricci consanguineum; quo etiam in casu P. Petronius Martini et P. Ioannes de Rechac permanerent semper primi et impigerrimi eiusdem Rosarii propagatores, alter in Italia alter vero in Gallia (4).

Ceterum, quisquis huius devotionis inventor exstiterit, certum est hanc precandi formam et assidue honorandi SS. Virginem a Rosario tanto favore omnes esse prosecutos ut, duodecim tantum annis post eius institutionem, P. Demora asserere po-

(1) Ps. 87, v. 1 et alibi.

(2) Quidam, ut P. PRADEL, aiunt eius nomen fuisse Martinum Petroni, sed perperam (Cfr. P. ESSER, *Le S. Rosaire*, XV, p. 606, not. 3).

(3) *Gioiello del Rosario*, impressum Cremae anno 1647, vix elapsis duodecim annis ab institutione Rosarii Perpetui.

(4) Cfr. *Acta Capituli Generalis Fratrum Praedicat. Romae celebrati* a. 1650; edit. Reichert, Romae, 1902, p. 353. — *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, p. 175; P. ESSER, *Le S. Rosaire*, chap. XV, p. 606, not. 1; — *Rosario - Memorie Domenicane*, a. 1905, p. 50.

tuerit: « Tam sancta devotio ita percrebuit ut nulla iam urbs in Italia reperiatur ubi non fuerit cum plausu excepta; extra Italiam quoque, in Hispania, in Gallia, et etiam in India a nostris Patribus praedicatam populi sunt amplexi. Ut de Italia tantum loquar, cum diligentissime inspexerim et notaverim ingentem praedictarum horarum numerum, eas ad decies centena millia, et altius adhuc, ascendere deprehendi. Et ad commendationem tam pii sanctique exercitii addo quod Romae, simul ac publicatum est hoc Rosarium Perpetuum in nostra Ecclesia Minervitana, Summus Pontifex Urbanus VIII rei certior factus, eam laudibus extollens voluit et ipse horam suam habere, quae ei contigit 11ª vespertina, die 22 Maii. Quo Iesu Christi Vicarii facinore perculsi multi Principes, Praelati et Cardinales, eum prompte imitati, suas quisque horas sibi elegerunt » (1).

Et si Rosarii Perpetui fortuna non fuit semper florida, et sua pluribus in locis ruina tributum solvit perturbationibus quae iam ab exitu saeculi decimi octavi terrarum orbem subverterunt, numquam tamen ea devotio penitus interiit in Ecclesia, praecipue vero in Ordine S. Dominici. A festo autem Corporis Christi anni 1858, cum sodalis dominicanus Augustinus Chardon felici mente concepit eam in Gallia sub nova forma instaurandi, videlicet cum hora *mensili* pro *annua*, brevi tempore refloruit non modo in Gallia, sed et in Belgio, in Hispania et in aliis multis Europae regionibus, imo et in America. In Belgio et regionibus Americae adsunt quoque Monasteria *Sororum Dominicanarum a Rosario Perpetuo*, cum fine recitandi die ac nocte Rosarium co-

(1) *Gioiello del Rosario*, iam cit. pag. praeced.

ram SS. Sacramento et Imagine Deiparae Virginis a Rosario, ne Sanctissimi Rosarii recitatio umquam interrumpatur (1).

In Italia, *patria vera et prima* Rosarii Perpetui, conamen apte restituendi hanc devotionem fecit anno 1872 Pater Hyacinthus Angelus Celle, sodalis dominicanus Bononiensis veneratae memoriae; sed cum parvo et fugaci successu. Sic pervenitur usque ad mensem octobris anni 1900 cum, opera Patris Constantii Becchi ex Praedicatorum Ordine, Summo Pontifice Leone XIII benedicente, etiam Italia instauratum vidit, sub nova forma horae mensilis, Rosarium Perpetuum; atque exinde nulli alii nationi secunda effecta est in hoc laudis tributo SS. Rosarii Reginae alacriter exsolvendo. Possit Rosarium Perpetuum evadere ubique terrarum Associatio magis magisque potens, vitamque vivere floridam et duraturam!

72. — Duae igitur sunt methodi constituendi Associationem Rosarii Perpetui, videlicet *horae annuae* et *horae mensilis*. Veteri methodo *horae annuae* unusquisque ascriptus se obligat ad recitandum integrum Rosarium durante illa hora per annum, quae ei a sorte vel a Directore assignatur momento quo in Associationem cooptatur; *hora mensili*, e contra, ascriptus recipit in se munus recitandi integrum Rosarium semel in mense, illo die et illa hora quae, pro eius libitu si desideret, assignabuntur a Directore in pagella inscriptionis.

Utraque methodus est legitima et a Summis Pon-

(1) Cfr. *Le Père Henri-Marie Iweins d'Eeckoutte, des Frères Prêcheurs*, par le Père Vincent M. Van Caloen du même Ordre; Bruxelles 1906, deuxième partie, chap. III.

tificibus approbata; sed secunda videtur praeferenda propter maiorem fructum qui Ascriptis inde redundat et securiorem stabilitatem Associationis. Quo factum est ut *hora annua* paullatim exoleverit, vix aliquo sui vestigio hic et illic relicto; atque in iis quoque ecclesiis ubi adhuc hora annua assignatur, nulla fere cura adhibetur, ut apta Ascriptorum dispositione semper adsint qui SS.mi Rosarii Reginam deprecentur. Mentione igitur facta *de hora annua* Rosarii Perpetui tamquam de facto historico, in praesenti unice occupabimur de Rosario Perpetuo *cum hora mensili*, quale fuit approbatum et indulgentiis auctum a f. r. Pio IX Summo Pontifice per Breve *Postquam Deo monente*, datum die 12 Apr., anno 1867.

73. — Rosarium Perpetuum sub nova forma *horae mensilis* qua instauratum est in Gallia, sic constituitur: Tota Associatio distinguitur in *divisiones* et *sectiones;* et unaquaeque habet suum *Praefectum*, ex ascriptis semper electum, qui ab ea nomen accipit. *Praefectus divisionis* tot socios eligit quot sunt dies in mense, assignando unicuique socio diem suum; sicque obtinentur triginta et unus *Praefecti sectionis;* ad quemlibet autem *sectionis Praefectum* pertinet vicissim invenire alias viginti quattuor personas, ita ut singulae viginti quattuor diei horae repleantur. Quod si Associatio fidelium favorem nacta fuerit, huiusmodi *divisionis* et *sectionis* Praefecti multiplicabuntur pro numero ascriptorum, sicque obsequium Virgini exhibitum manebit semper rite ordinatum *et continuum*, quod demum est finis Associationis praecipuus.

Ne autem Associatio careat necessaria unitate, tam *divisionis* quam *sectionis* Praefectos moderatur

aliquis *Director* qui debet esse semper Religiosus ex Ordine S. Dominici (1); totque sunt Associationes inter se distinctae et independentes quot earumdem Directores legitime designati ut iis praesint. Quapropter, ita Associatio constitui poterit ut totam regionem sive nationem complectatur cum unico Directore; vel unaquaeque Ordinis Provincia aut etiam quilibet Conventus poterit habere proprium Directorem Rosarii Perpetui et propriam Associationem, cum haec non sit Associatio *localis*, sed mere *personalis*, nec determinatis limitibus comprehensa, aut ligata particularibus ecclesiis: a libera voluntate Magistri Generalis aut Provincialis singularum Provinciarum Ordinis S. Dominici unice dependet decernere si una tantum aut plures debeant esse Associationes Rosarii Perpetui in iis locis ad quae eius iurisdictio extenditur (2). Quod necessario requiritur est, ut quaelibet Associatio regatur ab aliquo Directore Dominicano, totque numeret ascriptos, in *divisiones* et *sectiones* distributos, quot sufficiant ad replendas omnes horas unius saltem integri mensis.

Haec omnia colliguntur ex Brevi iam memorato Summi Pontificis Pii IX, ubi clare describitur modus constituendi Rosarium Perpetuum sub hac nova forma. Et cum Summus Pontifex, ad hanc novam formam respiciens, concedat indulgentias, videtur aliter non posse constitui Rosarium Perpetuum sine periculo eas amittendi. Attamen ex quadam Declaratione S. Congregationis Indulgentiarum, data die 27 Nov. 1894 (3), constat distributionem sodalium,

(1) *Breve Pii IX*, supra cit.

(2) Cfr. *Acta Capituli Generalis Lugdun. O. P.*, an. 1891, denunc. XXIII; *item, Friburgen.*, an. 1916, declarat. XXXIV.

(3) Cfr. *Analecta O. P.*, vol. II, pag. 146, n. 4.

per *divisiones* et *sectiones*, etsi commendandam, non pertinere ad *essentiam Associationis;* sed esse in potestate uniuscuiusque Directoris illam methodum applicare, quoad distributionem horarum, quae, attentis adiunctis loci, temporis et personarum, aptior ei videatur; dummodo quoad cetera, observet et observare faciat quae in Brevi Pii IX praescribuntur. Hinc est quod etiam Romae, cum gallica constitutio Rosarii Perpetui opportuna visa non fuerit, retinendo semper substantiam horae mensilis, electa est constitutio facilior, simplicior et securior. Ita pro *Praefectis divisionis* et *sectionis* invecti sunt *zelatores* et *zelatrices* ad quos spectat: *a*) colligere, in suo quisque loco, nomina personarum quae velint in Associatione connumerari; *b*) nomina Associationis Directioni, die et hora electa indicatis, tradere; *c*) distribuere singulis neoascriptis pagellam inscriptionis quam Directio sollicite transmittet; *d*) necnon Folia (vulgo *Bollettini-Ricordo*) (1), quae alternis mensibus mittuntur tali numero, qui omnibus ascriptis quorum sunt zelatores sufficere possit.

Neque hac methodo periclitatur continua recitatio SS. Rosarii; siquidem cum Director habeat prae oculis omnia ascriptorum nomina cum respectivis horis et diebus eis assignatis, facillime deprehendere poterit si qua diei vel noctis hora deficiat qui

(1) Quo melius Associationis incrementum fervorque Ascriptorum promoveantur, indispensabile est *Folium* quoddam (seu *Bollettino*) mensile vel bimestrale, ascriptis omnibus transmittendum, in quo fiat praecipue mentio gratiarum quas B. Virgo ascriptis dignata est impertiri, et defuncti confratrum precibus commendentur. Pro impressione istius Bollettini et quovis alio sumptu, poterit taxa ascriptis imponi vel spontaneae oblationes ab iisdem recipi; numquam vero exigi taxa pro receptione in Associationem quae, sicut iam diximus de ascriptione in Confraternitate, debet esse omnino gratuita.

Rosarium recitet, reique consulere rogando quosdam ex ascribendis ut vacuas horas repleant, potius quam alias ad arbitrium eligant. Praeterea, huiusmodi periculum prorsus eliminatur cum Associatio numerosa evadit; tunc enim dum ascripti sunt liberi sibi eligendi diem et horam, haec ipsa libertas de facto providet ut singuli dies et singulae cuiusque diei horae occupentur.

Alii quoque beneficio praestat haec methodus, reddendi videlicet faciliorem ingressum in Associationem illis personis quae tantum die festo gaudent temporis opportunitate ad suum honoris tributum Beatissimae Virgini exsolvendum. Etenim, cum iam habeantur qui *quolibet die mensis* propriam *horam* continenter peragunt, de facili personis quae pro festis diebus negotiis occupantur, facultas fieri potest sibi eligendi e. g. primam vel alteram vel tertiam vel postremam mensis dominicam sine ullo praeiudicio *perpetuitatis*. Et oh! quot animarum devotio erga SS. Virginem a Rosario, experientia novimus, hoc modo convaluit. Quod certe assequi minime potuissent, si ad suam horam peragendam debuissent diem mensis eligere quae modo in dominicam, modo in diem negotiorum incidit.

74. — Colligendo igitur, habemus quod conditiones essentiales ut *Associatio Rosarii Perpetui cum hora mensili* sit legitime constituta et fruatur indulgentiis a Pio IX concessis, sunt quae sequuntur:

a) Ut ascripti *Rosario Perpetuo* iam pertineant ad Confraternitatem Rosarii proprie dictam (1).

(1) Haec conditio non clare eruitur ex Decretis Apostolicis; sed fuit semper, praesertim si sermo sit de *Rosario Perpetuo mensili*, adamussim observata; ceterum convenientissimum est ut huiusmodi *equitum Mariae* praestantissimum agmen, veniat ex communibus membris Confraternitatis.

b) Ut ascribantur alicui *Associationi a Rosario Perpetuo* legitime constitutae sub Directione alicuius Religiosi ex Ordine S. Dominici (1); cavendo ut Ascripti huius Associationis ita distribuantur ut omnes horas unius integri mensis repleant.

c) Ut diligenter integrum Rosarium recitent Hora in pagella ascriptionis assignata (2).

d) Ut Hora assignata sit tantum una (3).

e) Ut die in quam incidit Hora (4), vel praecedenti (5) aut subsequenti Dominica (6), Sacramenta recipiant et aliquam ecclesiam visitent orando ad intentionem Summi Pontificis, ut indulgentiam plenariam Rosario Perpetuo propriam lucrentur (7).

Hae sunt obligationes essentiales Ascriptorum Rosario Perpetuo; quae, sicut ceterae Sodalitati a Rosario annexae, *numquam sunt sub poena peccati:*

(1) Director *Rosarii Perpetui* apprime distinguitur a Directore Confraternitatis; quocirca, ex eo quod aliquis sacerdos, saecularis aut regularis, est Director Sodalitatis Rosarii, non sequitur eumdem esse *Directorem* etiam *Rosarii Perpetui.* Ad summum poterit se occupare de Rosario Perpetuo tamquam *Zelator* vel *Praesidens,* semper tamen sub dependentia legitimi *Directoris,* videlicet alicuius Religiosi ex Ordine Praedicatorum.

(2) Qui quavis de causa non potest recitare Rosarium hora sibi assignata, curet ut ab aliquo alio suppleatur ne laudis tributum erga B. Virginem ullam patiatur interruptionem. Quo in casu tamen nec persona supplens nec quae suppletur possunt lucrari *plenariam indulgentiam* ascriptis concessam die qua Horam peragunt, cum haec illis unice concedatur qui *hora assignata* Rosarium recitabunt.

Idem dicatur si quis obliviscitur recitare Rosarium hora assignata et alia hora aut die recitat: optime facit medendo propriae oblivioni vel impotentiae; stat tamen eum non posse lucrari indulgentiam plenariam, quia non amplius recitat Rosarium *hora assignata* (Cfr. *Breve Pii IX,* supra citat.).

(3) Ascripti ferventiores bene poterunt pro sua in SS. Virginem Rosarii devotione plures sibi eligere horas mensiles; sed *indulgentiam plenariam* propriam Rosarii Perpetui semel in mense tantum lucrari poterunt (Cfr. *Breve Pii IX* supra cit.).

(4) *Breve Pii IX* iam cit.

(5) *S. Congr. Indulg.,* 6 Oct. 1870.

(6) *S. Congr. Indulg.,* 10 Sept. 1898.

(7) Quoad *tempus* accedendi ad Sacramenta Confessionis et S. Communionis, vide melius infra, cap. V, § 2.

agitur enim de voluntario obsequio SS.mae Virgini praestito deque medio facillimo sese meritis, gratiis et indulgentiis innumeris locupletandi. Quod bene advertant Ascripti ad praecavendos conscientiae scrupulos et anxietates, quorum nulla prorsus est ratio.

75. — Quoad modum et locum Horam peragendi, eadem potest fieri ubique: domi, in itinere, flexis genibus vel sedendo; quamquam optimum est ut, qui possunt, in Ecclesia faciant, et melius adhuc in Cappella Virginis a Rosario. Hoc unum advertendum est, videlicet quod hora sit completa et ea durante quindecim decadum Rosarium indispensabiliter recitetur.

Ad complendam Horam praemitti possunt aut adiungi, etiam infra unam et alteram partem, aliae preces; non adeo tamen ut non suppetat tempus ad recitandum integrum Rosarium, quod numquam omitti debet. Ad hoc optime inserviunt parva *Manualia* quae impressa veneunt, quaeque multum conferunt ad Horam rite peragendam. Sane in iis preces ita distribuuntur, ut cum Rosarii recitatione unius horae spatium totum repleant (1).

Qui nescit legere, integro Rosario, quod generatim explicit hora nondum completa, adiungat alias preces ad libitum vel aliud Rosarium iteret.

76. — Utilissimum est, etsi non necessarium, attendere, dum per Horam recitatur Rosarium, ad *speciales intentiones* quas prae mente habuit qui Rosarium Perpetuum condidit; quaeque ob suam

(1) Italice prostat parvum Manuale: *L'Ora del Rosario Perpetuo*, edit. 14ª, Firenze 1926.

praestantiam et momentum dignae sunt profecto quae fidelium mentibus infigantur. Huiusmodi speciales intentiones tres recensentur: *peccatores* in Mysteriis gaudiosis; in dolorosis *agonizantes;* in gloriosis vero *animae in Purgatorio detentae* (1). — *Peccatores* in statu perditionis versantur; ipsis enim sterile evadit, nisi resipiscant, opus Redemptionis; ideoque pro iis orare est cum Christo Redemptore animarum saluti operam dare. — *Agonizantium* aeternitas a momento dependet: unicus perfectae contritionis actus potest eos salvare, sicut et unica cogitationis culpa potest eos perdere. Quam necessarium est igitur pro ipsis, omnibus horis, sine cessatione, preces fundere, cum omnibus horis sint qui e vita decedunt! — Et *animas in Purgatorio degentes*, quae non iam possunt mereri, et expectant ut ad Dei visionem admittantur manusque ad nos supplices tendunt, nonne decet relevare recitatione Coronae et applicatione tot Indulgentiarum, quae S. Rosario annectuntur?

Alias tamen cuiusque generis intentiones formari possunt, imo expedit interdum recedere a tribus memoratis intentionibus, vel alias speciales cum iisdem cumulare ad fines consequendos, qui prae ceteris cordi sint Horam peragenti. Mysteriorum Rosarii meditatio praebebit semper thesaurum inexhaustum affectuum et reflexionum in proprium commodum et alienum.

Itaque ferventissimus quisque clientum SS. Vir-

(1) P. Demora, *Gioiello del SS. Rosario Perpetuo, da offrirsi alla gran Madre di Dio Maria Vergine per la conversione de' peccatori, per l'aiuto degli agonizzanti, per il suffragio delle anime del Purgatorio*, Milano 1650. — Ravicini, *Roseto prodigioso di Maria Vergine del SS. Rosario*, Montefiascone, 1791, parte I, libr. III, c. 9, p. 220. — P. Esser, O. P., *Le S. Rosaire de la très-Sainte Vierge*, ch. XV, Paris 1894, pag. 615.

ginis a Rosario horam sibi eligat sive diurnam sive nocturnam, eamque transigat integrum Rosarium alacriter recitando, defixis oculis in Deum incarnatum, in Deum crucifixum, in Deum dexterae Patris in glorioso corpore assidentem. In benedictam Mariam amantes obtutus iaciat, verecundam in gaudiis, sanctam in doloribus, regnantem ad dexteram Filii, superum turmis acclamatam, qui eam in caelis pulchre circumsaepiunt. Mente tranquilla recitet *Pater*, moduletur dulciter *Ave Maria;* oret et supplicet ardenter pro se, pro amicis, pro defunctis, pro infidelibus, pro miseris omnibus qui sui baptismatis et aeternitatis immemores divinae ultioni velut grex stupidus sese obiiciunt. Suspiret, plangat, caelum respiciat et imploret. Sic Rosarii Perpetui hora, concludit pius quidam et doctus Episcopus (1), erit hora plena, hora lucis et castae laetitiae, hora paradisiaca.

§ II. — *De Rosario Viventi.*

77. — Nomine *Rosarii Viventis* venit « pia quaedam fidelium associatio, constans manipulis 15 personarum, quae cuiuslibet mensis initio inter se distribuunt quindecim Rosarii mysteria, cum obligatione cotidie recitandi suam quisque decadem Mysterio sibi assignato correspondentem ». Cuius piae praxis origo eiusdem naturam et finem manifesta faciet.

Equidem, diximus iam, loquendo de Rosario Perpetuo, quomodo et ea devotio debuerit, suo pluribus in locis interitu, tributum solvere perturbationibus quae ab exeunte decimo octavo saeculo

(1) Del Corona, in *Rosario - Memorie Domenicane,* anno 1903, p. 52.

orbem universum subverterant (1). Sed non tantum *perseverantia* et *continuitas* in oratione his de causis defecerunt, sed et ipse orationis spiritus. Homines non amplius credebant; quomodo igitur orare poterant? Hac itaque aetate, anno circiter 1826, opera piae cuiusdam lugdunensis matronae, nomine Paulinae Mariae Jaricot, ortum habuit in Gallia, ubi impietas maxime grassabatur, *Associatio Rosarii Viventis*, eo fine ut paullatim populus denuo orationi assuesceret, sicut iam *Opere Propagationis Fidei*, ab eadem Paulina instituto, provisum fuerat ut ad fidem reduceretur (2).

Incepit pia domina suggerere omnibus personis ad quas accedere poterat, ut cotidie recitarent unam decadem illius praestantissimae orationis quae Rosarium audit: quod quidem nec viros ab oratione quam maxime alienos deterrere poterat. Dein ut possent, hanc parvam Rosarii partem recitando, participes fieri omnium beneficiorum integri Rosarii, eos in totidem quindecim personarum manipulos collegit, et singulis *zelatorem* vel *zelatricem*, ex ipsis manipulis electos, praefecit, qui cuiusvis mensis initio membris proprii manipuli quindecim Rosarii mysteria distribuerent; ita ut unusquisque in proprio manipulo determinatum mysterium repraesentaret, et omnes simul efformarent veluti vivam imaginem integri Rosarii SS. Virginis: unde nomen *Rosarii Viventis*.

(1) Cfr. *supra*, pag. 96.

(2) Maurin, *Vie de Pauline-Marie Jaricot, Fondatrice de la Propagation de la Foi, et du Rosaire Vivant*, Paris 1878. — *La fondatrice de la Propagation de la Foi et du Rosaire Vivant. Souvenirs d'une amie sur la vie, les œuvres et les épreuves de Pauline-Marie Jaricot.* Paris-Bruxelles, 1879. — Tamburelli, *Un'anima amica del Cuore Eucaristico di Gesù (Paolina Maria Jaricot, Fondatrice dell'Opera della Propagazione della Fede)*. Marietti, Torino 1926. — Cfr. etiam P. Esser, *Le Saint Rosaire*, chap. XV, p. 578.

Res optime cessit, tantumque incrementi nactum est Rosarium Vivens, ut ipsius Apostolicae Sedis benevolentiam sibi conciliaverit. Sane Summus Pontifex Gregorius XVI, instante Cardinali Lambruschini, tunc temporis Lutetiae Parisiorum Legato, duos primos Directores Generales Associationis directe instituit, scilicet Ioannem Franciscum Bétemps, ecclesiae cathedralis lugdunensis canonicum, et Benedictum Marduel, vicarium ecclesiae paroecialis S. Rochi parisiensis (1). Insuper per Breve (2), datum die 27 Ian. 1832, concessit S. Pontifex Associationi a Rosario Viventi complures Indulgentias eamque uni ex Patribus Cardinalibus protegendam commisit (3). Primus Cardinalis Protector *Rosarii Viventis* fuit ipse Cardinalis Lambruschini, qui tantum laboris et industriae adhibuerat, ut Associatio a S. Sede approbaretur. Ei autem successerunt Cardinales Odescalchi, Recanati, Villecourt; donec Pius IX, Brevi dato die 17 Augusti 1877 (4), declaravit Associationem a Rosario Viventi sub immediata directione Magistri Generalis Dominicanorum; qui est, ut vidimus (5), legitimus haeres eorum omnium quae ad Rosarii devotionem spectant.

78. — Associatio *Rosarii Viventis* sic in praesenti constituitur:

a) Aliquis sacerdos, et non alius (6), potest Associationi praeesse. Ad ipsum vero pertinet *zelatores*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. XVIII, n. 350. — P. Esser O. P., *Le S. Rosaire etc.*, ch. XV, pag. 580.

(2) « *Benedicente Domino* ». — Cfr. *Acta pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. XII, n. 223.

(3) *Ibidem*, vol. I, c. XVIII, n. 350.

(4) « *Quod iure haereditario* », *Ibidem*.

(5) Cfr. supra, cap. I, § 6, pag. 30 et ss.

(6) Cfr. *Acta Ap. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. XVIII, n. 350.

et *zelatrices* nominare, quorum unusquisque debet invenire alias quattuordecim personas, quibus efformetur manipulus, et ipsis assignare initio cuiusque mensis Mysterium meditandum (1). Si huiusmodi quindecim personarum manipuli valde multiplicentur, poterit Director, si ei visum fuerit, conferre titulum *Praesidentis* vel alium similem pluribus personis, sive foeminis sive maribus, quae certo zelatorum numero praesint (2).

b) Ubi existit Confraternitas Rosarii, eiusdem Director, et ipse solus habet plenum ius semetipsum praeficiendi etiam Associationi a Rosario Viventi (3). In locis vero ubi Confraternitas non habetur, ius nominandi Directores Rosarii Viventis Magistro Generali F. Praedicatorum reservatur vel Provincialibus eiusdem Ordinis ex eius delegatione, quae singulis in sua Provincia commissa est: hac tamen differentia quod P. Generalis gaudet facultate nominandi *Directores Generales*, qui scilicet plura loca complectantur, e. g., totam regionem vel dioecesim; dum Provinciales possunt solummodo nominare *Directores locales* et

(1) *Ibidem*, n. 362.

(2) In locis ubi non existit Confraternitas SS. Rosarii, neque reperiuntur sacerdotes qui Rosario Viventi praeesse velint, Provinciales Ordinis Dominicani, ad Rosarium Vivens propagandum, possunt hoc medio uti, praeficiendo videlicet zelatoribus laicas personas cum nomine *Praesidentium* (Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, Vol. I, c. XVIII, n. 363), sibi ipsis Associationis directione reservata. Palam est nominationem zelatorum non pertinere in hoc casu ad Presidentes, sed ad ipsos Provinciales qui Directorum munere funguntur. Huiusmodi *Praesidentibus*, qui etiam Consiliarii sunt nuncupati, concessae fuerunt speciales indulgentiae, dummodo legitime electi praesint saltem undecim *zelatoribus* (*Ibidem*, Vol. I, c. XII, n. 223).

(3) Cfr. *Acta S. Sedis etc.*, Vol. I, c. XVIII, n. 354. — Ex speciali concessione Leonis XIII potest Magister Generalis Dominicanorum permittere Superioribus Ordinum aut Congregationum religiosarum, tam virorum quam mulierum, ut inter membra propriae Congregationis Associationem a Rosario Viventi instituere valeant et Directoris munere fungi, illis etiam in locis ubi iam existit Confraternitas Rosarii. (*S. C. Indulg.*, 18 Maii 1889).

unum tantum in singulis locis (1). Quod si istis in locis Confraternitas SS. Rosarii erigatur, tunc etiam Moderatio *Rosarii Viventis* transfertur *ipso facto* ad Directorem Confraternitatis, tam si veteres Directores *Rosarii Viventis* instituti fuerint ad tempus, quam ad vitam (2).

c) Ut quis membrum Associationis a Rosario Viventi evadat et lucretur indulgentias, sufficit ut annumeretur ab uno *zelatore* inter quindecim associatos sui manipuli, nec ulla inscriptio requiritur (3); unusquisque autem desinit pertinere ad Associationem eo ipso momento quo *zelatori* significet sese ad eam amplius pertinere nolle. Item necesse non est ut adscripti ad *Rosarium Vivens* sint quoque ascripti ad Confraternitatem Rosarii.

d) Sodales Associationis nullam aliam habent obligationem praeter quam recitare cotidie 1 *Pater*, 10 *Ave* et 1 *Gloria* meditando mysterium a zelatore ipsis assignatum; et haec eadem obligatio non est sub peccato.

e) Mysteriorum distributio potest fieri a zelatoribus duobus modis: aut sortiendo quindecim Mysteria, aut eadem successive mutando secundum ordinem quo in consueta Rosarii recitatione enuntiantur. *Prima methodo* zelator, initio cuiuslibet mensis (4),

(1) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Ros.*, Vol. I, c. XVIII, nn. 355, 356, 357.

(2) *Ibidem*, Vol. I, c. XVIII, n. 359.

(3) Initio in usu erant quaedam pagellae in quibus notabantur nomina componentium proprium manipulum: praesidentes inscribebant nomina zelatorum quibus praesidebant, directores autem notata habebant nomina praesidentium. Sed, quoniam Associatio a Rosario Viventi numquam habita est ut Confraternitas, nec umquam Confraternitati aequata, semper retentum est quod, si ea inscriptio et adnotatio est opportuna Associationi, nullatenus tamen requiritur ad lucrandas Indulgentias. (Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Ros.*, Vol. I, c. XVIII, n. 366).

(4) Iusta de causa, e. g. ad expectandam diem Dominicam vel aliud speciale festum, sortitio Mysteriorum potest differri ad quindecim dies (Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Ros.*, Vol. I, c. XVIII, n. 366).

coram pertinentibus ad suum manipulum aut saltem duobus ex ipsis, sorte extrahit quindecim mysteria, curatque ut moneantur Associati quodnam mysterium iisdem obtigerit. *Altera methodo*, quae magis practica videtur, assignatis primum quindecim mysteriis, unusquisque sodalis transit mense proximo ad mysterium successivum. Utcumque fiat mysteriorum mutatio, utilissimum est et paene indispensabile bono regimini Associationis, commonefacere ascriptos mysterii per mensem ab ipsis meditandi ope pagellarum vel parvorum foliorum in quibus repraesentetur et enuntietur Mysterium, indicata insuper quadam virtute exercenda, et allato pulchro aliquo Sanctorum exemplo vel sententia.

f) Ad lucrandas indulgentias necessario requiritur ut singuli quindecim personarum manipuli sint completi. Nihilominus, si mors alicuius sodalis vel alia quaevis causa, inscio zelatore vacuum efficiat, non ideo ceteri amittunt indulgentias, dummodo zelator, intra spatium unius mensis a die compertae rei, aliud membrum sufficiat. Quod si, manipulo completo remanente, aliquis sodalis oblivione, negligentia vel alia quacumque ratione omittat recitare suam decadem, non alii, sed ipse solus, qui susceptae obligationi fidelis non fuit, privatur indulgentiis (1).

Haec, praesens constitutio *Rosarii Viventis;* quae minime confundenda est cum aliis huius generis associationibus: quaevis unio vel fusio cum aliis Associationibus ipsi existentiae Associationis a *Rosario Viventi* attentat, cum eam magno indulgentiarum beneficio defraudet. « *Rosarium Vivens*, scribebat

(1) Cfr. *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Ros.*, vol. I, c. XVIII, n. 366.

ipsa institutrix paulo ante quam e vita migraret, debet retinere suum nomen, suam formam, suam constitutionem, sicut ab Ecclesia agnitum et approbatum est» (1). Quod etiam explicite declaravit supremus *Rosarii Viventis* Moderator, scilicet Generalis Dominicanorum Magister, his verbis: «Expresse declaramus non esse nisi unum Rosarium Vivens, Ordini nostro omnino commissum, quod nulli alii sodalitati, cuiusque sit nominis, sive *Rosarii Apostolatus Orationis*, sive *Rosarii SS. Cordis Iesu*, sive alterius huiusmodi, immixtum permittimus, ne periculum iacturae Indulgentiarum immineat... Possunt tamen socii Rosarii Viventis alias Associationes participare, sed sub hac conditione expressa, quod seorsim obligationibus unius et alterius societatis satisfaciant, ita ut eo modo sodalitates confundere nemini liceat» (2).

79. — Quaelibet tamen institutio arte coniungitur cum tempore quo nascitur; et candide fatemur Associationem a *Rosario Viventi*, quamquam optimam in se, non esse tamen nisi figuram et imaginem verae devotionis SS. Rosarii; quapropter, si huiusmodi Associatio *Rosarii Viventis* potest esse opportuna in aliquo loco, sicut opportunissima fuit in Gallia initio saeculi elapsi, ad suaviter reducendos circa thronum Reginae caelorum christianos qui penitus orationis usum amiserint; si utilis esse potest quibusdam personis, nimis occupatis, vel in sua devotione languentibus, vel infirmis (3); et prae-

(1) Cfr. P. Esser, O. P., *Le S. Rosaire etc.*, ch. XV, pag. 600.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis pro Soc. SS. Rosar.*, vol. I, cap. XVIII, n. 368.

(3) S. Congregatio Concilii die 12 Februarii an. 1914 specialia privilegia concessit pro acquisitione Indulgentiarum huius piae Associationis, si inter *milites* erigatur, videlicet: *a*) Armigeri huic associationi semel adscripti

cipue si multum prodesse potest pueris ut a teneris annis assuescant cotidianae Rosarii recitationi (1); non est obliviscendum *Rosarium Vivens* nil aliud esse quam tirocinium et medium ad perveniendum ad integri Rosarii recitationem et ingressum in Confraternitatem, ubi et uberiores sunt fructus et multo copiosior thesaurus Indulgentiarum, quae acquiri possunt. Haec fuit intentio illius quae Associationem a *Rosario Viventi* condidit; haec intentio Ecclesiae in eadem Associatione approbanda; haec denique esse debet intentio omnium eorum qui ad B. Virginem magis magisque honorandam *Rosarium Vivens* propagant. Generosos cum Domina nostra quam maxime esse convenit, cum optima Mater obsequia sibi oblata nobis cumulate rependat.

§ III. — *De Quindecim Sabbatis.*

80. — Devotio *Quindecim Sabbatorum* consistit in serie quorumdam exercitiorum spiritualium, quae per quindecim *consecutiva* sabbata peraguntur in honorem quindecim mysteriorum SS. Rosarii.

concessas aut concedendas lucrari queunt indulgentias, licet aliquando quindenarius recitantium numerus non compleatur, aut successiva mysteriorum mutatio non observetur; — *b*) P. Generali Ordinis tribuitur facultas designandi sacerdotem qui *Dirigentis generalis* titulo gaudeat et munere fungatur, et designandi pariter *Directores locales* eiusdem Associationis sacerdotes, ex illis nimirum qui de militibus curam spiritualem habent (*S. Cong. Concilii*, 12 Febr. 1914; — cfr. *Analecta O. P.*, an. 1914, p. 415).

Concessae fuerunt pro militibus etiam speciales indulgentiae, de quibus infra, p. 186, in nota 3.

(1) *Rosarium Vivens*, iam late in Gallia diffusum sub titulo *Le Rosaire des Enfants*, in Italia quoque magis in dies propagatur sub nomine *I piccoli Rosarianti*. Et sane, ad assuefaciendos puerulos ut cotidie Beatam Virginem mente recolant, *Rosarium Vivens* est medium opportunissimum fructusque salutares producit in teneris illis animabus, sicut colligi potest ex relatione *Le Rosaire des Enfants*, quam ad Marialem e toto orbe Conventum Romae a. 1904 celebratum habuit P. Body dominicanus, primus Rosarii inter pueros constitutor.

Cuius praxis origo videtur esse repetenda a medio circiter saeculo XVII; et instituta dicitur primum in Tolosana Ecclesia Dominicanorum paulo post insignem victoriam a rege Francorum Ludovico XIII, SS. Rosarii Regina intercedente, reportatam. Quod factum sic narratur: — Calvinistae et Hugonottae, terribiles haeretici saeculi XVII, captis armis, Galliam commovebant, desolationem et excidium ubique disseminantes. Quos cum rex Ludovicus XIII insectaretur, ipsi se in arcem de la Rochelle, expugnatu difficillimam, receperunt. Rex Ludovicus, iure merito *iustus* appellatus, animo non defecit; et unice *Victoriarum Reginae* confidens, priusquam infaustum haeresis receptaculum obsidione cingeret, se contulit pedibus, ipse cum tota aula, ad altare Reginae Victoriarum dicatum, quod Carolus VI extruendum curaverat Parisiis anno 1382 post triumphum de Rosebecque, intercessione Beatissimae Virginis obtentum. Dein e castris scripsit Reginae Matri Mariae de Medicis, rogans ut publicas preces indiceret pro bono exitu suscepti belli. Ad hoc electa est ecclesia S. Honorati curae Patrum Dominicanorum commissa; et die 20 maii anni 1627, ipse Archiepiscopus, praesentibus Regina Matre, Regina Regente Anna de Austria, Duce Aurelianensi, necnon duobus purpuratis Patribus, de la Rochefoucauld et de Berulle, praelatis plurimis atque ingenti populi multitudine, incepit elata voce Rosarium pro incolumitate sacrae Regis personae eiusque armorum prosperitate. Huiusmodi praxis iterata est magna cum devotione sabbatis successivis; atque rex, cum comperisset quam ferventer Parisiis oraretur, voluit ut ipsis in castris Patres Dominicani, qui semper exercitum comitabantur ad Sacramenta

ministranda et infirmis succurrendum, devotionem Rosarii militibus praedicarent, eosque hortarentur ut cum fervore illud recitarent, plus quam quindecim millibus coronarum ad rem inter milites distributis.

Praelio commisso, haeretici penitus dissipati sunt; et rex, tam faustum eventum protectioni Reginae SS. Rosarii ascribens, voluit ut Patres Praedicatores primi in illam civitatem ingrederentur cantando litanias Beatissimae Virginis. Vexillum eos praecedebat cuius una facies depictam referebat imaginem Crucifixi, altera vero Beatae Virginis cum inscriptione: *Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo* (1).

Praeterea, ad perpetuam facti memoriam, rex aedificandam iussit sub titulo *Nostrae Dominae Victoriarum* Ecclesiam, quae hodie inter omnes parisienses ecclesias celeberrima evasit; Dominicani autem arbitrati sunt Virgini magis acceptum constituere et propagare, occasione huius insignis victoriae, devotionem *Quindecim Sabbatorum SS. Rosarii.*

Consuetudo honorandi Virginem Benedictam die sabbati est antiquissima in Ecclesia. Iam enim Ezechiel propheta dixerat: *Porta atrii interioris, quae respicit ad orientem, die sabbati aperietur... Et adorabit populus ad ostium portae illius in sabbatis* (XLVI, 1, 3). Et Ecclesia, divinitus inspirata, semper agnovit in porta illa mysteriosa Templi Ierosolimitani praefi-

(1) Cfr. SCANZIO, *La divozione del SS. Rosario,* Torino 1794, qui auctor dicit se hanc narrationem eruisse ex libro *Exercices Spirituelles etc.*, Paris 1703, Patris Mespolie, dominicani. — Cfr. CHERY, *Storia generale del Rosario,* pag. 87. — Hoc facto quoque intelligitur cur Ludovicus XIII, talium triumphorum memor, voluerit ut eius Delphinus, vix sex dies natus, inscriberetur a Religiosis Dominicanis Parisiensibus Confraternitati SS. Rosarii, cura interea uni eorum commissa recitandi Rosarium pro Delphino, donec is per se ipsum recitare posset (Cfr. MORASSI, *Il Rosario di Maria,* c. II, § 4, p. 133, nota).

gurari Mariam, portam Summi Regis, quae luce splendet fulgidissima: *Tu regis alti ianua, et aula lucis fulgida* (1). Insuper Sabbatum est dies requietis, et Maria est requies et pax peccatoris ad Deum redire volentis: a requiete tam caelestis *Sabbati* procedit anima peccatoris ad ineffabilia gaudia *Dominicae*, quae est quies in Deo per gratiam recuperatam (2).

Hinc nil mirum si Dominicani, semper alacres in alendo et propagando SS. Virginis cultu, rati sint Eidem fore acceptissimum die Sabbati honorari specialibus exercitiis, praestantissimam devotionem SS. Rosarii spectantibus; eo vel magis quod splendida victoria ad La Rochelle, intercessione benedictae Virginis parta, quaeque per plura sabbata successiva sanctae Coronae recitatione implorata fuerat, eius rei luculentissimum suppeditabat argumentum.

Hoc certum est quod pauci tantum anni interfuerunt inter cladem haereticis a Ludovico XIII inflictam et institutionem piae praxis *Quindecim Sabbatorum* in Tolosana ecclesia Dominicanorum. Et quia, ut plures auctores tradunt, pium hoc exercitium insignes gratiae illico subsecutae sunt, simul ac ab Ecclesia fuit approbatum et Indulgentiis auctum, nullus fuit Dominicanorum Conventus ubi devotio *Quindecim Sabbatorum* non perageretur.

Nostra aetate, cum propter exhortationes Summorum Pontificum recitatio SS. Rosarii Coronae magis in usum et familiaritatem venerit, etiam praxis Quindecim Sabbatorum refloruit non sine magno, tam in spiritualibus quam in temporalibus, animarum emolumento.

(1) Brev. Rom., *in comm. B. M. V.*
(2) Cfr. *Ros. - Mem. Dom.*, anno VI, 1889, p. 44.

81. — Cum duae sint methodi ab Ecclesia approbatae ad peragendum exercitium *Quindecim Sabbatorum*, *una* videlicet pro simplicibus fidelibus, *altera* pro Ascriptis ad Sodalitatem Rosarii, duplicis quoque generis sunt opera ad huiusmodi pium exercitium explendum praescripta.

Ascriptis ad Confraternitatem, qui peragere cupiant Quindecim Sabbata, iniungitur ut confiteantur et communicent per quindecim sabbata *consecutiva*, et visitent unoquoque sabbato Ecclesiam ubi erecta est Confraternitas, ibidem orando ad mentem Summi Pontificis (1).

Ceteris autem fidelibus, *Confraternitati non ascriptis*, praescribitur, ut ad peragenda *Quindecim Sabbata* accedant per quindecim sabbata *consecutiva* ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae, et singulis hisce sabbatis recitent tertiam saltem Rosarii partem, vel Mysteria Sacratissimi Rosarii devote meditentur (2). Qui vero, loquendo semper de simplicibus fidelibus, propter statum vel conditionem, quindecim consecutiva sabbata nequit Virgini consecrare, potest iisdem sufficere *quindecim dominicas*, dummodo et ipsae sint consecutivae. Quare ad peragendum exercitium hoc diebus dominicis loco sabbatorum, adhibenda est exclusive secunda methodus, cum facultas substituendi sabbatis dominicas facta sit fidelibus in genere, sine ulla mentione Ascriptorum ad Confraternitatem (3). Adverte insuper quod in neutra methodo taxative praescribitur ut unoquoque sabbato fiat meditatio super uno e quindecim mysteriis Rosarii, ut communiter habent *Methodi* impressae ad bene peragendum exercitium

(1) Pius IX, *Decr. S. C. Indulg.*, 12 Dec. 1849.
(2) Leo XIII, *Decr. S. C. Indulg.*, 21 Sept. 1889.
(3) *Raccolta delle Indulgenze*, ediz. 1898, n. 197.

Quindecim Sabbatorum (1); tamen ea praxis utilis admodum est ad augendam efficaciam huius salutaris devotionis. Etenim una ex rationibus cur tam paucae inveniuntur animae vere devotae, in eo procul dubio reponenda est quod parum considerant Vitam Domini Nostri Iesu Christi; dum Sancti nullum aliud exemplar habuerunt cui propriam vitam conformare conarentur, quam Crucifixum. Iam vero, devote et successive meditando in unoquoque ex Quindecim Sabbatis vel Dominicis unum ex Quindecim Mysteriis SS. Rosarii, aliquod scilicet principale punctum vitae Iesu et Mariae eo solemni tempore quod S. Communionem antecedit vel subsequitur, facilius figitur in mente tota utriusque vita, seu totum Evangelium ad praxim reductum. Et saepe per diem mente recolendo quidquid Ipsi pro nobis egerunt atque toleraverunt, magis magisque amor noster in Deum, desideriumque conformandi nostram vitam cum vita sanctissima Iesu et Mariae exardescet.

Quo in loco aliud quoque notare iuvat magnum beneficium, quod praeter honorem Virgini exhibitum et innumeros favores qui Ea intercedente obtinentur, christianis animabus ex praxi Quindecim Sabbatorum provenire solet: nimirum repetita, certo temporis spatio, Sacramentorum susceptio, quae plurimum confert ad christianorum conscientias emundandas, ad noxium humanarum passionum germen radicitus convellendum atque ad excitandos tepidos ut Angelorum pane frequenter reficiantur. Sane, si plerisque christianis proponatur ut semel in hebdomada ad Sacramenta accedant ea sola ratione quod frequentia Sacramentorum unum est ex mediis

(1) Cfr. italice Novaro O. P., *I Quindici Sabati in onore de' Quindici Misteri del SS. Rosario*, 12ª edizione, Roma 1928.

praecipuis ad proficiendum in vita christiana et ad debellandas tot pravas passiones quibus in eosdem semper defectus prolabuntur, saepe renuunt; sed a Maria se nosse invitatum, id profecto intima cordis commovet nec ullus erit qui resistere audeat. Sic igitur Quindecim Sabbata medium praebent efficacissimum etiam ad praeparandas animas ad frequentem Communionem, quae tantopere, recenter quoque, inculcata est a Summis Pontificibus, ut alatur in fidelibus verus et fortis spiritus christianus (1).

82. — Quindecim Sabbatorum devotio peragi potest quocumque tempore et, quoties placuerit, successive iterari. Sed tempus prae ceteris opportunum sunt Quindecim Sabbata immediate praecedentia Festum SS. Rosarii, quod celebratur, saltem quoad externam solemnitatem, Dominica prima Octobris (2). Etenim, ut digne praeparemur ad fructuose celebrandum Festum SS. Rosarii, quid melius quam exercitium Quindecim Sabbatorum, destinatum, ut diximus, non solum ad Deiparam Virginem honorandam, sed etiam ad proficiendum in eius virtutum imitatione? (3).

83. — Praxis Quidecim Sabbatorum ditata fuit a Summis Pontificibus variis Indulgentiis prout una

(1) Cfr. *S. C. Concilii*, 20 Dec. 1905.

(2) Cfr. melius infra, n. 84, pag. 120.

(3) Ad sciendum quandonam incipi debeant Quindecim Sabbata in praeparationem ad Festum SS. Rosarii, inspiciatur hoc paradigma:

Si Festum SS. Rosarii incidit die 1 Oct., 1um sabbatum est die 24 Iunii.
Si Festum incidit die 2 Oct., 1um Sabbatum est die 25 Iunii.
» » » » 3 » » » » » 26 »
» » » » 4 » » » » » 27 »
» » » » 5 » » » » » 28 »
» » » » 6 » » » » » 29 »
» » » » 7 » » » » » 30 »

vel altera methodo peraguntur; at de Indulgentiis suo loco (1). Hic tantum quaedam *dubia* resolvimus:

a) *Pro iis qui qualibet hebdomada confitentur, sufficitne confessio septimanalis, etsi sabbato non fiat?*

R. — Certe sufficit, imo sufficit confessio bis in mense peracta; et qui quotidie sanctam Communionem recipiunt, aut saltem quinquies per hebdomadam, possunt etiam ad longius tempus, iudicio confessarii vel directoris Confessionem differre (can. 931, § 3).

b) *Potestne Communio in quavis ecclesia recipi?*

R. — Potest; sed, nisi grave obstet incommodum, decet ut, praesertim Ascripti, eam recipiant in ecclesia ubi erecta est Confraternitas. Communio potest quoque fieri die Veneris, vel Dominica (can. 931, § 1).

c) *Qui pium exercitium incepit die Sabbati, si semel aut iterum eo die sit impeditus, potest substituere Sabbato Dominicam?*

R. — Iudicio nostro potest, nam intentio Summi Pontificis concedentis ut pium exercitium transferri posset in Dominicam, ea demum fuit ut fideles die Sabbati impediti, possent die Dominica hanc devotionem peragere sine amissione Indulgentiarum. Forte tamen, cum hodie liceat anticipare vel differre Communionem die praecedenti vel sequenti, sicut supra dictum est, si quo sabbato Communio impediatur, melius erit et pro Indulgentiis tutius, adimplere sabbato alia exercitia, scilicet recitationem Rosarii, vel meditationem Mysteriorum, vel visitationem etc., et in dominicam remittere vel die veneris anticipare Sacram Communionem.

d) *Si quis, et propter grave impedimentum, totaliter omitteret unum Sabbatum vel unam Dominicam*

(1) Cfr. infra, pagg. 177 et 178.

cum intentione adiungendi in fine exercitii aliud Sabbatum vel aliam Dominicam, lucraturne Indulgentias?

R. — *Negative*, ut nobis videtur; nam explicite dicitur quod Sabbata vel Dominicas *consecutiva* esse debent (1).

e) Ascriptus Confraternitati potest peragere Quindecim Sabbata iuxta methodum pro omnibus fidelibus praescriptam, vel debet necessario sequi methodum pro Ascriptis statutam?

R. — Potest eligere ad libitum unam vel alteram methodum, quoniam non desiit, ascriptione, frui privilegiis omnium fidelium; si tamen pro Sabbato velit pium exercitium Dominica peragere, debet necessario methodum omnibus fidelibus communem sequi, uti supra diximus (2).

f) Potest quis Indulgentias utriusque methodi simul lucrari?

R. — Videtur esse negandum, nam agitur de eadem concessione sub duplici methodo, eligenda ad arbitrium illius qui peragit dictum exercitium Quindecim Sabbatorum. Quare si unam methodum elegeris, hoc ipso altera excluditur.

§ IV. — *De Festo Sacratissimi Rosarii deque Mense Octobri.*

84. — « Sumite Psalterium iucundum in insigni die solemnitatis vestrae, et exsultate Virgini adiutrici nostrae » (3). Sic Ecclesia dulcissime invitat fideles, praecipue vero Ascriptos ad Confraterni-

(1) Cfr. supra, pagg. 112 et 116.
(2) Cfr. supra, n. 81, pag. 116.
(3) Breviar. Dominic., *In Solemnitate SS. Rosarii*, ℣. I.

tatem Rosarii, ad celebrandum quotannis Festum SS. Rosarii. Est invitatio ad gaudium, ad exsultationem, quoniam dies illa commemorat unum ex pulcherrimis triumphis in historia Marialis Rosarii, spemque cordibus ingerit triumphi gloriaeque coelestis.

Origo *Festi SS. Rosarii* non ascendit ultra annum 1571. Usque ad eam aetatem, Rosarium, quomodocumque iudicatur de tempore institutionis, certe non habuit speciale festum; et ad summum rosariantes suum Festum celebrabant, ut vult traditio, ipso die Annuntiationis, quo recolitur primum SS. Rosarii mysterium, apto propterea ut in festum patronale devotorum sacrae Coronae destinaretur (1). Sed sub finem saeculi decimi sexti, regnante Sancto Pio V, dominicano et sacrae Coronae addictissimo, tale contigit factum quod, cum sine dubio sit gloria pulcherrima Rosarii et origo specialis Festi quod nomine *Festi SS. Rosarii* hodie celebramus, silentio non est praetereundum.

Die 7 octobris anni 1571 ad Naupactum pugnatum est, inter christianos et turcas, maximum aetatis nostrae navale proelium. Ferox Selimus II, turcicus imperator, victoriis iam reportatis insipienter elatus, se usque Romam adventurum iuraverat ad Sedem Petri diruendam, proque ea ficturum bicornis lunae vexillum, mutato christianorum principe templo in *stabulum equis Muhamedis*. Et Selimus II vir erat propositi tenax. Tunc Summus Pontifex Pius V, christianis principibus ad communium rerum tutelam excitatis, omni studio egit ut potentissima Dei

(1) In veteri altari Rosarii in Ecclesia perusina S. Dominici adhuc hodie leguntur haec verba: *Beatissimae Virgini Annunciatae Sacratissimi Rosarii Praesidi Perpetuae dicatum.*

Mater, Rosarii prece implorata, nomini christiano propitia succurreret. Nobilissimum sane spectaculum, iis diebus caelo terraeque exhibitum, omnium in se mentes animosque convertens! Hinc enim Christifideles, non procul a Corinthiaco sinu, vitam et sanguinem pro religionis patriaeque incolumitate fundere parati, hostem interriti opperiebantur; illinc piae supplicantium turmae Mariam inclamabant, Mariam ex Rosarii formula iteratis vicibus consalutabant, ut astantibus adesset ad victoriam. Proelium ad Naupactum in undis commissum est. Tradunt historiae (1) quod S. Pius V die 7 octobris, viginti diebus nondum elapsis ex quo classis christiana Messanae portum reliquerat, se a suis repente retrahens faciem fenestra exseruit; et cum, fixis in caelum oculis veluti in extasim raptus, paulisper constitisset, inde recedens exclamavit: « Vicimus, vicimus! Dei favore et Sanctissimae Virginis ope sumus incolumes! Nos ibimus ad S. Mariae supra Minervam fidelitatem nostram Rosario promissuri pro tanta christianorum victoria ». Et vere victum fuerat.

Ob quam rem idem Summus Pontifex decrevit inserendam Litaniis Lauretanis invocationem *Auxilium Christianorum*, diemque celeberrimi proelii anniversariam in honorem *Virginis Victoriarum* solemniter consecrandam.

Ea fuit origo Solemnitatis SS. Rosarii sub titulo *S. Mariae Victoriarum;* donec Gregorius XIII, Sancti Pii V successor, propter solemnem Rosarii supplicationem iam tum prima cuiuslibet mensis dominica fieri solitam (2), festum recolendum statuit in prima

(1) Cfr. etiam *Breviarium Romanum*, die 5 Maii, festo S. Pii V.
(2) Cfr. supra, c. III, § IX.

dominica Octobris sub nuncupatione *Festi SS. Rosarii*, ut significaret Rosarium fuisse veluti mysticam fundam quae minacem Islamismi Goliath sine erectionis spe feliciter prostraverat.

Similiter saeculo XVII aliae nobilissimae victoriae reportatae sunt de Turcis ad Temeswariam in Hungaria et Corcyram insulam, duobus diebus Virgini sacris et post multas ad Eam fusas preces iuxta pium Rosarii ritum. Unde Clemens XI, grati animi significatione et variorum etiam principum desideriis obsecundans, Solemnitatem Rosarii quae prius celebrabatur in aliquibus tantum regionibus et in illis ecclesiis ubi aderat Cappella vel Altare Rosarii, ad totum christianum orbem extendit (1).

Denique Summus Pontifex Leo XIII, quo propitiorem, ut ipse dicit, sese nobis exhibeat potentissima ista Regina, ad eamdem magis magisque sub invocatione Rosarii honorandam eiusque cultum augendum, ad ritum *duplicis secundae classis* evexit pro tota Ecclesia Festum SS. Rosarii (2).

Hodie vero, reformato a Pio X kalendario ecclesiastico, Festum Sacratissimi Rosarii denuo reductum est pro universa Ecclesia ad diem fixam 7 Octobris, anniversariam, ut supra diximus, celebris pugnae ad Naupactum. Tamen, quia multis in locis invaluerat usus celebrandi dictum Festum 1ª Dominica Octobris, et etiam quia die dominica festum maiore cum solemnitate a fidelibus agi potest, Summus Pontifex Pius X, translato reformatione kalendarii festo SS. Rosarii in diem fixam 7 Octobris, permisit ut 1ª Dominica octobris in illis ecclesiis ubi celebratur festum externum Sacratissimi Rosarii, omnes

(1) Cfr. Encycl. Leonis XIII « *Supremi Apostolatus* », 1 Sept. 1883.
(2) Decretum *Urbis et Orbis*, S. RR. Congr., die 5 Aug. 1888.

Missae possint esse de Rosario, exceptis Missis paroeciali et chorali (SS. RR. Congr., 28 Octobris 1913); non tamen si festum externum ad aliam Dominicam transferatur (SS. RR. C., 27 Martii 1920).

In omnibus vero ecclesiis Dominicanis viget adhuc facultas celebrandi festum Rosarii, sive quoad externam solemnitatem sive quoad Officium, prima Dominica octobris (1).

85. — Privilegium quod carissimam et maxime salutarem efficit populo christiano solemnitatem Sacratissimi Rosarii est specialis indulgentia plenaria *toties quoties*, ad modum indulgentiae *Portiunculae* concessa.

S. Franciscus, S. Dominici amicus, dum ardenter orat pro peccatorum conversione, obtinuit in parva illa et paupere orationis domo quae postea « Sancta Maria de Angelis » appellata est, *Indulgentiam Veniae* (*del Perdono*), remissionem scilicet omnium peccatorum Mariae Virginis intercessione. Eodem forte tempore, opinatur pius quidam scriptor (2), S. Dominicus accipiebat de manibus Beatae Virginis Rosarium, quod est et ipsum *Venia*, utpote medium validissimum ad Dei misericordiam super peccatores implorandam.

Postquam autem Dei misericordiae ope Rosarii per tempora sunt confirmatae, Ecclesia, duos uniens conceptus, Festo Rosarii, sicut iam *Portiunculae*, Indulgentiam plenariam *toties quoties*, quam dicunt *Veniae*, elargita est.

(1) Quoad indulgentias, ipsae lucrari possunt vel die quo Festum cum officio celebratur, vel die quo solemnitas externa habetur (Cfr. infra, n. 114, pag. 160).

(2) Cfr. *Rosario. - Memorie Domenicane*, anno 1905, p. 436.

Indulgentia Plenaria *toties quoties* de qua nunc loquimur consistit, ut omnes norunt, in specialissima concessione facta ab Ecclesia lucrandi Indulgentiam Plenariam, defunctis etiam applicabilem, *toties quoties* visitatur Ecclesia vel Cappella cui annexa est talis Indulgentia.

Et, quod ad Rosarium speciatim attinet, *Indulgentia haec toties quoties*, consistit in facultate omnibus fidelibus, ascriptis vel non ascriptis Confraternitati, facta lucrandi plenariam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, toties quoties aliquis, a meridie diei praecedentis festum Rosarii usque ad mediam noctem eiusdem diei Festi (can. 923), visitat Cappellam ubi erecta est Confraternitas, aut statua, vel imago Deiparae Virginis a Rosario publicae fidelium venerationi exposita (1).

Conditiones ad praedictam indulgentiam in festo SS. Rosarii lucrandam, sunt quae sequuntur:

a) Confessio sacramentalis, quae peragi potest tam intra octo dies qui praecedunt festum quam intra octo qui sequuntur (c. 931, § 1), praeter alias exceptiones de quibus postea ubi de Indulgentiis (2).

b) Sacra Communio, quae recipi potest vel ipso die festi vel in pervigilio vel etiam uno dierum subsequentis octavae (can. 931, § 1) et in quacumque ecclesia (3).

c) Visitatio Cappellae Rosarii vel effigiei SS. Virginis quae dicto die in ecclesia exponi solet, orando ad mentem Summi Pontificis (4). Non praescribuntur determinatae preces; quinque *Pater*, *Ave*, *Gloria*,

(1) Cfr. infra, pag. 167.
(2) Cfr. infra, pag. 162.
(3) *S. Congr. de Indulg.*, 19 Maii 1841.
(4) *S. Congr. de Indulg.*, 25 Ian. 1866; cfr. etiam infra, p. 161.

vel aliae aequivalentes, dummodo non sint obligatoriae (1), certe sufficiunt.

d) Exeundum est de ecclesia et dein iterum ingrediendum si plures visitationes consecutive peragantur (2).

86. — Sed Summus Pontifex Leo XIII, vel inde a prima ex memorandis Encyclicis de Rosario, nova ordinatione decernebat, ut non modo speciali devotione et splendore cultus Solemnitas Rosarii celebraretur, sed et integer October mensis consecraretur caelesti Reginae, cum maxime deceat, sicut ipse ait (3), ut divinae Matri, cui flores dedimus mense maio, velimus omnes fructiferum quoque Octobrem singulari pietatis affectu esse dicatum; Mariae namque applicatur illud Ecclesiastici: *Fructus mei fructus honoris et honestatis* (4).

Vicarii Iesu Christi verba in animis fidelium omnium optime resonuere, semenque fuerunt ex quo suaves amoenique fructus germinarunt. October enim in toto catholico orbe, non minus quam Maius, mensis Marianus effectus est.

Mensis Octobris, prout iussit Leo XIII (5), celebrandus est in omnibus ecclesiis paroecialibus totius mundi; et si locorum Ordinariis utile atque opportunum videatur, in aliis quoque ecclesiis et oratoriis Deiparae dicatis.

In dictis Ecclesiis a prima Octobris die usque ad secundam sequentis Novembris inclusive, cotidie

(1) *S. Congr. de Indulg.*, 29 Maii 1841.
(2) *S. Congr. de Indulg.*, 29 Febr. 1864.
(3) Encycl. « *Augustissimae* », 12 Sept. 1897.
(4) Eccli. XXIV, 23.
(5) Encyclicae « *Supremi Apostolatus* », 1 Sept. 1883; « *Superiori anno* », 30 Aug. 1884. — Decretum *Urbis et Orbis* S. Rit. Congr., 20 Aug. 1885.

recitanda est tertia saltem Rosarii pars, additis Litaniis Lauretanis (1) cum oratione: « Ad Te, beate Ioseph » ab eodem Leone XIII praescripta (2). Quod si Rosarium mane persolvatur, Missa inter preces celebretur; si a meridie, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi proponatur, deinde fideles rite lustrentur (3).

87. — « Iis autem qui pium exercitium mensis octobris, ut supra indicatum est peregerint, libenter patefacimus, inquit Summus Pontifex, thesauros Ecclesiae in quibus incitamenta pariter et praemia suae quisque pietatis inveniat » (4). Et revera complures sunt Indulgentiae quibus Leo XIII octobris mensem ditatum voluit, ut videbimus in *Indice Indulgentiarum* S. Rosarii (5). Volens denique Summus Pontifex illis etiam consulere qui ruri viventes agri cultione praecipue Octobris mense detinentur, concessit ut in illis locis, prudenti Ordinariorum arbitrio, singula exercitia mensis Octobris, cum sacris etiam Indulgentiis, ad insequentes vel Novembris vel Decembris menses differri valerent (6).

(1) Encyclicae et Decretum iam citata.

(2) Encycl. «*Quamquam pluries*», 15 Aug. 1889.

(3) Decretum *Urbis et Orbis* S. Rit. Congr., 20 Aug. 1885. — Romae, in dominicana Ecclesia S. Mariae supra Minervam, mensis Octobris incepit solemniter celebrari iam ab anno 1883 hoc ordine functionum: *summo mane* Missa cum recitatione primae Rosarii partis (mysteria gaudiosa), Litaniis, Tantum ergo et Benedictione cum Pyxide. *Hora* 11 *cum dimidia.* Missa cum recitatione secundae partis Rosarii (mysteria dolorosa), Litaniis, Tantum ergo, Benedictione cum Ostensorio. *Sero* denique, post decantatum Completorium, sermo, tertia pars Rosarii (mysteria gloriosa), Litaniae, Tantum ergo et Benedictio cum Ostensorio.

(4) Encycl. «*Supremi Apostolatus*», 1 Sept. 1883.

(5) Cfr. infra, pag. 153.

(6) Decretum *Urbis et Orbis* S. Rit. Congr., 20 Aug. 1885. — QUAERITUR: *Utrum quae in hoc Decreto praescribuntur quoad* obligationem *recitandi quotidie per mensem Octobris Rosarium in quibusdam ecclesiis, etiam post* pacta Lateranensia (11 Februarii 1929) *adhuc vigeant?* Dicitur namque in praefato

§ V. — *De Missa privilegiata SS. Rosarii.*

88. — Unum ex piis exercitiis inter populum christianum introductis post Summi Pontificis Leonis XIII exhortationes ut devotio SS. Rosarii revivisceret, illud est publice recitandi coronam Beatae Virginis dum sacerdos ad altare sacris operatur. Nec exstat hodie paroecialis ecclesia, vel omnium remotissima, ubi saltem diebus festis, populus ad Missae sacrificium congregatus, non oret benedictam coronam manibus pervolvendo. Sed maiores nostri ulterius processerunt Missamque specialem, in honorem Quindecim Mysteriorum quam saepissime celebrandam, instituendam curarunt. Fuit haec *Missa privilegiata SS. Rosarii* inserta Missali Dominicano saltem ab anno 1576, quaeque incipit: « *Salve radix sancta* ».

Omissis quae referuntur ad conceptum liturgicum huius Missae et ad studium quo veteres cultores SS. Rosarii flagrare debuerunt pro eiusdem Missae celebratione aut saltem frequentissima auditione (nam saepius debuit ipsa S. Congregatio dictae Missae celebrationem ordinare aut eiusdem privi-

Decreto hoc fieri debere « quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurent adiuncta, ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit ». — *Resp.: Negative*, quoad strictam obligationem, cum revera cessaverit praecipua causa propter quam huiusmodi preces indictae fuere; *curandum* tamen ut pia praxis consecrandi mensem Octobris caelesti Reginae conservetur, « cum maxime deceat ut divinae Matri, cui flores dedimus mense Maio, velimus omnes fructiferum quoque Octobrem singulari pietatis affectu esse dicatum » (Leo XIII, enc. « *Augustissimae* », 12 Sept. 1897). — *Indulgentiae* quoque perdurant, cum relatae fuerint sine limitatione temporis in *Novo Indice Indulgentiarum Rosarii*, 29 Aug. 1899.

legium extendere) (1), pauca tantum disseremus de utilitate, tempore, modo et personis quae Missam privilegiatam SS. Rosarii celebrare possunt.

89. — Et imprimis notandum est non omnes sacerdotes habere facultatem celebrandi Missam *Salve radix* seu *Missam privilegiatam SS. Rosarii*, sed solos sacerdotes ad Ordinem Dominicanum pertinentes, inclusis sacerdotibus Tertiariis quibus P. Generalis dederit facultatem legitime utendi Missali Dominicano (2). Nullus alius sacerdos hoc privilegio fruitur; sacerdotibus tamen Confraternitati ascriptis datur facultas celebrandi ad Altare Confraternitatis (dum Dominicani possunt in quocumque Altari), iisdem conditionibus et Indulgentiis quibus conceditur Fratribus Praedicatoribus Missa *Salve radix*, Missam *votivam de Beata*, quae legitur in Missali Romano pro diversitate temporum (3).

90. — Praeterea, cum Missa *Salve radix*, quae dicitur *privilegiata* ob speciales Indulgentias tam celebranti quam audienti concessas, fuerit semper inserta Missali Dominicano inter Missas votivas et votivarum omnes habeat characteres, eius etiam celebratio fuit iam ab initio subiecta normis Missarum votivarum. Sed anno 1848 duae paroeciae vicorum Mortel et Borsbeek apud Antuerpiam primae obtinuerunt facultatem canendi hanc Missam quolibet sabbato non impedito a festo ritus solemnioris; quod privilegium extensum est postea ad omnes Dominicanas Ecclesias Belgicas decreto S. Rituum Congre-

(1) *Bullarium Ord. Praed.*, vol. VII, p. 265.
(2) Const. « *Ubi primum* », Leonis XIII, § XV.
(3) Const. « *Ubi primum* », § XV.

gationis dato die 17 Nov. anni 1858; donec anno 1877 Summus Pontifex Pius IX, occasione sui Iubilaei episcopalis, *vivae vocis oraculo* concessit omnibus sacerdotibus Ordinis Praedicatorum facultatem recitandi dictam Missam privilegiatam bis in hebdomada, die Mercurii videlicet et Sabbato, dummodo dictis diebus non occurrerent festa 1ae aut 2ae classis, nec festa de praecepto, vel feriae aut vigiliae et octavae privilegiatae, nec demum festa et octavae B. Virginis. Summus autem Pontifex Leo XIII, huiusmodi pontificium favorem in legem mutando, definitive statuit ut Missa privilegiata *Salve radix* a Dominicanis, et *Missa votiva pro tempore de Beata* a sacerdotibus non dominicanis sed albo Confraternitatis ascriptis, possent sine dierum distinctione bis in hebdomada celebrari, ad normam semper decretorum S. Rituum Congregationis (1); hoc est, exceptis dominicis et festis de praecepto, diebus in quibus iuxta kalendarium ecclesiae ubi Missa celebratur occurrant festa 1ae et 2ae classis, feriae aut vigiliae et octavae privilegiatae, festa et octavae Beatae Virginis (2). Quivis alius sacerdos non dominicanus nec ad Sodalitatem pertinens, forte a fidelibus requisitus ut Missam SS. Rosarii celebret, huic muneri satisfacere potest dicendo *Missam votivam pro tempore de Beata* (3), iis diebus in quibus a

(1) Const. « *Ubi primum* », § XV. — *S. Cong. Rit.*, 17 Maii 1912.

(2) Dominicani nunc habent privilegium canendi Missam « *Salve radix* » etiam omnibus et singulis sabbatis, festivitatibus tantum exceptis primae classis, die Circumcisionis D. N. Iesu Christi, die festo Purificationis, Visitationis, Nativitatis et septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, necnon coeteris B. Mariae Festivitatibus quae in aliquibus locis et in Ordinis ecclesiis cum solemnitate celebrantur, Vigiliis Nativitatis et Paschatis Resurretionis D. N. Iesu Christi, Vigilia Pentecostes, itemque sabbatis infra octavas Paschae, Epiphaniae, Pentecostes et Corporis Christi » (*Brev.* S. Pont. Pii PP. XI, in *Analecta O. P.*, an. 1928, p. 610).

(3) *S. Rit. Congr.*, 6 Maii 1623.

rubricis generalibus permittuntur missae votivae, non vero bis in hebdomada sicut dominicani aliique sacerdotes Sodalitati ascripti facere possunt. Et haec sint dicta de diebus in quibus Missa privilegiata SS. Rosarii celebrari potest. — Quoad ritum, tam in Missa *Salve radix* pro Dominicanis, quam in *Missa votiva pro tempore* pro sacerdotibus Directoribus Sodalitatis vel eidem ascriptis, debent adamussim observari communes rubricae Missarum votivarum iuxta ritum uniuscuiusque. Hic tamen adverte quod adhibendus est semper color albus, etsi non concordet cum colore diei (1).

91. — Ad extollendam denique utilitatem celebrationis huius Missae, praeter magnum honorem qui Deiparae Virgini, unita eius coronae memoria cum sacrificio quod Dominus Iesus in cruce peregit quodque in altaribus cotidie renovatur, exhibetur, sciendum est quod tam sacerdoti Missam celebranti quam fidelibus Sodalitati ascriptis eam audientibus, conceduntur singulis vicibus omnes indulgentiae quae integri Rosarii recitatione acquiruntur. Quod si quis in consuetudine habuerit aut eam celebrandi aut saepe eidem assistendi, potest etiam lucrari semel in mense, Confessione peracta et Communione recepta, omnes indulgentias quae conceduntur illis qui prima cuiusque mensis Dominica intersunt Processioni Rosarii (2); quae omnes indulgentiae animabus quoque defunctorum applicari possunt.

Si Directores Sodalitatum docerent ascriptos de tot spiritualibus beneficiis quae nullo impendio per-

(1) *S. Rit. Congr.*, 18 Dec. 1779.
(2) Cfr. infra, pag. 178.

cipi possunt ex celebratione aut auditione Missae SS. Rosarii, hi procul dubio maiore cum sollicitudine eam audirent, omnesque fideles eiusdem celebrationem expeterent quoties in suorum suffragium Missas celebrare faciunt.

§ VI. — *De Corona benedicta.*

92. — *Rosarium*, et communius *Corona*, dicitur illud instrumentum seu globulorum series quo numerantur *Pater* et *Ave* in recitatione SS. Rosarii.

Usus numerandi preces calculis vel funiculis, et praesertim globulis in modum coronae filo contextis, antiquissimus est. Quidam volunt nobis derivasse ab antiquis monachis orientalibus, primamque eius originem repetunt a quinto circiter saeculo. Certum est quod mos numerandi preces granis filo consertis praeexistebat institutioni Rosarii, iamque fideles hoc modo memoriae in orationibus succurrebant (1).

Nec indecorum est, ut notat pius quidam scriptor (2), percurrere digitis grana *coronae* affectus et preces ex ordine iterando, sicut indecorum non est citharae chordas digitis tractare. Nemo audeat precum numerum contemnere, quia etiam in ordine naturae arithmetica inservit musicae, et numerus harmoniam in sonis efficit. Etiam mysteria Dei habent suam arithmeticam, et numerus in precibus est symbolum et echo illius intrinsecae et potentis harmoniae animae, qui est amor.

Insuper Ecclesia benedicit coronam Rosarii, et ritu quodam speciali a Deo petit *ut coronam sancti-*

(1) Cfr. Benedictus XIV, *De Festis D. N. I. C. et B. M. Virginis*, lib. II, cap. 12. — P. Esser O. P., *Le Saint Rosaire etc.*, c. III. — Drane, *S. Domenico, Fondatore dei Frati Predicatori*, c. X.

(2) Del Corona, *Le Rose di Maria*, § XVIII.

ficet eique infundat virtutem Spiritus Sancti. Sanctificare est rem a profano usu seiungere et usui sacro destinare. Virtus vero Spiritus Sancti est vialis influxus Verbi, qui intrat in materiale instrumentum illudque elevat ad miros effectus producendos cum nos illud adhibemus. Ea demum est ratio cur etiam Satanas persentit flatum Verbi in rebus benedictis, indigneque fert quod tenuis materia ab Ecclesia benedicta suae immodicae superbiae frenos iniiciat. Coronae autem Rosarii ideo praecise benedicuntur « ut quicumque secum portaverit atque in domo sua reverenter tenuerit et in eis ad Deum divina contemplando Mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et Indulgentiarum quae per Sedem Apostolicam concessa fuerunt; ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa beatissima Virgine Maria Dei Genitrice Deo plenus bonis operibus praesentari mereatur » (1).

93. — Cultores SS. Rosarii, qui iam a primis temporibus Coronae benedictae influxus beneficos sunt experti, eam semper suae vitae sociam dilectam habuerunt, eam supra se diu peramanter detulerunt, noctu vero suspenderunt lecto contra cotidianos incursus hostium visibilium et invisibilium, eidemque, saepe, morituri legaverunt suaviores affectus carioresque memorias.

Oh! quot mihi res narrat Corolla matris meae, ad ultimum vitae punctum ab ipsa adhibita, cum manibus eam advolvo Rosarium recitando... utque mihi

(1) *Formula longior*, praescripta ab Ecclesia ad Coronas Rosarii benedicendas. (Cfr. hoc *Manuale*, cap. VI, pag. 192).

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

efficitur magis in dies pretiosa! Quot memorias, quot spes excitas in corde meo amabilis Corolla, exclamabat in ipso prope limine mortis etiam senex philosophus Augustus Conti! Eique in mentem sponte veniebant sequentes versus amici cuiusdam carissimi:

« Non mea fert aurum, at Christum cum Matre Corona,
Tempora non ornat, non, ubi serta, nitet.
Sed cum vesper adest alternas teximus illi
Cum mihi dilectis dulciter ipse preces.
Et cum deicior longo moerore, Corollam
Tunc super oppresso pectore pono meam;
Et curae abscedunt, recreat fiducia mentem,
O Christi Mater, spes quoque laeta mihi! » (1).

S. Camillus de Lellis, cum quadam die fasciculum Coronarum distribueret quas e S. Lauretana Domo secum attulerat, sacerdoti suam quoque petenti dixit: *Non habes tu coronam?* Quo negante, subiunxit admirans Sanctus: *Sacerdos sine corona, Sacerdos sine corona!...* Et S. Franciscus Salesius admonet suam Philotheam: « Defer ad cingulum aut alio patenti loco Rosarium tuum, ut sacrum signum quo profitearis te cupere famulari Deo et suae SS. Matri ».

Propter piam huiusmodi consuetudinem secum deferendi Coronam, Summi Pontifices iam ab anno 1491 concesserunt Indulgentiam centum annorum totidemque quadragenarum, semel in die lucran-

(1) « Oro non v'ha nella Corona mia,
Ma v'ha il Cristo e la Madre sua Maria;
Non la si cinge in capo, e non si pone
Ove la vanità mette corone.
Ma quando cade placida la sera
V'intessiam co' miei cari una preghiera;
Ma quando sento in cuore aspro dolore
La mia corona pongo sopra il cuore;
E la pena si allieva in tua fidanza,
Madre del Salvatore e mia speranza ».

A. Conti, *La mia Corona del Rosario*, Prefazione.

dam, omnibus Confratribus Rosarii qui corde contrito secum benedictam Coronam in obsequium SS. Virginis detulissent; quae Indulgentia, omissa in novo Indulgentiarum Rosarii Summario per Leonem XIII approbato, fuit postea a S. Pontifice Pio X confirmata (1). Et huic primae Indulgentiae, Rosarii coronis benedictis annexae, alia addita fuit a Benedicto XIII Summo Pontifice; videlicet Indulgentia centum dierum pro quolibet *Pater noster* et qualibet *Ave Maria* cuilibet in recitatione Rosarii coronam benedictam adhibenti (2). Profecto Ecclesia generosior esse non poterat in suis thesauris profundendis in favorem ipsius Marianae Coronae.

94. — Nihilominus, quia multi sunt fructus qui percipiuntur ex Corona benedicta, Ecclesia, quae suorum thesaurorum semper exstitit provida dispensatrix, variis legibus ordinavit benedictionem Coronae Rosarii, quarum prima restringit facultatem huius benedictionis solis Directoribus Sodalitatum a Rosario, illisque sacerdotibus quibus a Generali Dominicanorum Magistro legitima facultas facta fuerit (3). Quilibet alius sacerdos non potest bene-

(1) Rescriptum Pontificium, die 11 Iul. 1906. — Cfr. *Analecta Ord. FF. Praed.*, vol. VII, vel I ser. II, pag. 592.

(2) *Index Indulgentiarum Rosarii*, a Leone XIII approbatus, 29 Aug. 1899, Appendix, n. 2; cfr. infra, pag. 170.

(3) *Facultas benedicendi coronas* ordinarie conceditur a P. Generali Dominicanorum cum *facultate ascribendi ad Rosarium*. Sacerdotes qui obtinuerunt *personalem facultatem* benedicendi Coronas Rosarii, eadem uti possunt omni loco qui *explicite* non excipiatur in dicta facultate, nec requiritur ut praevie Ordinario ostendatur (*S. C. Indulg.*, 5 Febr. 1851). Dum Directores Confraternitatis non possunt talem benedictionem impertiri nisi in loco ubi Confraternitas erecta est: idem dicatur de sacerdotibus qui habeant facultatem non ut personale privilegium sed *ratione officii;* e. g. *Cappellanus* talis Ecclesiae (Cfr. P. Liekens, O. P., *Liber Manualis Rectoris Confr. SS. Rosarii*, cap. III, p. 28, Mecliniae 1904). — Vide etiam supra, cap. III, § 3.

dicere Coronas Rosarii; aut saltem non potest benedicere applicando indulgentias huius devotionis proprias. Quod bene notetur; quia nimis frequenter, etiam *a sacerdotibus*, confunditur facultas benedicendi res sacras, coronis non exclusis, iis applicando indulgentias *apostolicas*, cum facultate benedicendi coronas applicando Indulgentias *proprias Rosarii*. Hae ultimae plane differunt a primis; et ipse Summus Pontifex cum benedicit coronas Rosarii simplici signo Crucis, nunquam intendit, saltem ordinarie, iisdem applicare Indulgentias proprias SS. Rosarii. Quanto minus igitur idem poterunt illi sacerdotes qui a Summo Pontifice habent tantum facultatem applicandi coronis aliisve rebus sacris, uti sunt numismata, cruces, crucifixi, etc. solas Indulgentias apostolicas.

Quamquam tamen Indulgentiae apostolicae ab indulgentiis SS. Rosarii prorsus differunt, possunt, distinctis benedictionibus, utraeque applicari eidem coronae: una enim benedictio alteram non excludit: imo maioribus semper indulgentiis coronam ambae locupletant.

Id unum notandum, has varias indulgentias — et idem dicatur de alia quacumque indulgentia applicabili coronae quinque, decem aut quindecim decadum — non posse simul omnes acquiri; sed distinctis actibus opera iniuncta repetenda sunt. Excipiuntur *Indulgentiae S. Birgittae* quae, cum annectantur Coronae non solum per specialem benedictionem Coronarum S. Birgittae, sed etiam per benedictionem Coronarum Rosarii, simul cum Indulgentiis Rosarii acquiri possunt (1). Pariter exci-

(1) *S. Congr. Indulg.*, 13 Apr. 1726 et 18 Sept. 1862.

piuntur Indulgentiae quas vocant *Crucigerorum* de Belgio — 500 dies pro quolibet *Pater* et *Ave* — quae recenti decreto S. Congr. Indulgentiarum (1) *in recitatione Rosarii* cumulari possunt cum indulgentiis Rosarii, dummodo Corona utramque benedictionem, Rosarii nempe et Patrum Crucigerorum, acceperit.

95. — Pro benedictione Coronarum Rosarii praescribitur quaedam specialis *formula*, nec sufficit simplex signum crucis (*S. Congr. Indulg.*, 29 Febr. 1864). Liberum tamen est eligere inter duas formulas approbatas et relatas etiam in Rituali Romano, quarum una est brevior, altera longior; adhibetur haec postrema praesertim in conventibus ubi Coronae solemniter benedicuntur (Cfr. *Rescriptum* S. Poenitent., 23 Nov. 1918).

Praescribitur insuper, saltem cum adhibetur formula longior, ut sacerdos in benedicendis coronis utatur stola, et *oratione* finita easdem aspergat aqua benedicta. Necesse tamen non est ut aqua benedicta directe perveniat ad coronas; hae namque possunt optime benedici etiam si folio involutae aut theca inclusae inveniantur; semper enim percipi possunt a benedicente aut in seipsis aut in re qua continentur; quod certe sufficit ad validitatem benedictionis (2).

96. — Semel valide benedictae, coronae semper benedictae remanent, nisi formam mutent vel vendantur (c. 924, § 2). Forma in coronis Rosarii oritur ex numero et dispositione granorum quae filo inter se ita uniuntur, ut efforment coronam quinque,

(1) *S. Congr. Indulg.*, 12 Iunii 1907.
(2) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. V, n. 112.

decem, aut quindecim decadum (1). Consequenter corona mutat formam si qua decas addatur vel adimatur huic quinariae divisioni. A S. Congregatione expresse declaratum fuit coronas unius tantum decadis, vel anulos, digito gestandos, decem globulis constantes, quibus in recitatione Rosarii numerari valeant decem *Ave Maria*, indulgentiari non posse (2); quod intelligi debet de quacumque corona quae non sit quinque aut decem aut quindecim decadum (3). Sane, benedictio Rosarii datur coronae non sicut cuicumque rei, sed sicut signo devotionis quam repraesentat (4); iam vero, cum corona quae non sit quinque aut decem aut quindecim decadum non amplius ordinetur ad significandum Rosarium Marianum, sed vel annos Domini nostri Iesu Christi si trium, vel annos B. Virginis si septem decadum, etc.; sequitur necessario Coronam Rosarii mutare essentialiter formam quoties varietur numerus decadum ex quibus componi debet.

Aliud est, si decas uno alterove grano careat: tunc enim corona remanet semper destinata ad repraesentandam et significandam eamdem rem; non mutat tunc substantialiter formam, nec propterea indulgentias amittit. Sic, e. g., non amittit indulgentias corona quae in aliqua parte fracta, iterum innectatur (5); aut etiam si amissis quattuor vel quinque granis alii sufficiantur (6). Imo corona, optime potest, secundum opinionem satis probabilem,

(1) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. V, n. 80.
(2) *S. C. Indulg.*, 20 Ian. 1836.
(3) Constit. « *Ubi primum* » Leonis XIII, § XIII.
(4) « Ut haec *signa Rosarii*... benedicas et sanctifices etc... ». Formula benedictionis Coronarum (Cfr. praesens Manuale, cap. VI, n. 3).
(5) *Acta S. S. pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, c. V, n. 108.
(6) *S. C. Indulg.*, 10 Ian. 1839.

ex toto religari quin amittat Indulgentias, dummodo ex iisdem granis conficiatur et tantummodo filus mutetur: eo vel magis si grana eodem ordine cum filo novo uniantur, quem prius habebant (1).

In his et similibus casibus est semper eadem moraliter corona quae, intacta substantialiter forma, patitur aliquas modificationes. Quod tamen nemini persuadere debet grana, quatenus grana, esse quae benedicuntur; benedicuntur enim grana quatenus constituunt coronam; hinc prorsus erraret qui grana benedicere curaret intendens ex iisdem coronas benedictas postea formare. Cumulus granorum, etsi ita numerentur ut unam pluresve coronas efformare possint, non possunt ullo modo appellari corona; sunt solum materia coronarum cui deest adhuc forma, una ex conditionibus essentialibus ad validitatem benedictionis.

97. — Sed alia de causa potest corona valide benedicta indulgentias amittere, nempe *si vendatur*. Coronae benedictae vendi nequeunt sub poena amittendi indulgentias etiam si quis, sine ullo lucro, purum pretium coronae exigit (can. 924, § 2). Qui ergo emit coronas ut, postquam benedictae fuerint, distribuat, eas gratis dare debet, quia quidquid petitur aut recipitur titulo pretii, Indulgentias amittere facit. Neque ad evitandam huiusmodi amissionem proderit restituere pecuniam aut rem acceptam.

Nihilominus si plures personae inter se conveniant de emendis, communi sumptu, pluribus coronis, illa quae negotio praeest, potest certe, sine detrimento Indulgentiarum, pactam pecuniam recipere, etiam postquam coronae fuerint benedictae; sane in hoc

(1) *Acta S. S. pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, c. V, n. 108.

casu excluditur, postquam coronae benedictae fuerunt, omnis ratio emptionis aut venditionis; sed si contractus adfuit, fuit ante benedictionem (1).

98. — Tertia quoque causa, ante novum Codicem Iuris Canonici, aderat qua coronae benedictae amittebant Indulgentias, mutatio videlicet destinationis. Corona benedicta et *iam adhibita* ab una persona, non poterat amplius donari neque commodari sine praeiudicio Indulgentiarum; usus coronae reddebat indulgentias quasi *personales*, hoc est inhaerentes personae quae prima huiusmodi corona benedicta uteretur (2).

Novus autem Codex nullam mentionem huius causae facit, imo expresse dicit, tunc tantum coronas indulgentias amittere, cum prorsus desinunt esse vel venduntur (can. 924, § 2); mutatio igitur destinationis non amplius nocet, in coronis, sacris Indulgentiis.

99. — S. Congregatio Indulgentiarum pluries agere debuit etiam de materia qua constare debent grana coronarum ut possint valide benedici. Et declaratio eadem semper fuit, nimirum ex qualibet materia solida et sufficienter resistenti coronas confici posse. Quapropter coronae ex quacumque materia sint, ligno, osse, ferro, lapide, vitro — dummodo vitrum sit solidum, — possunt semper valide et licite benedici (3).

(1) Et hac de causa licet committere alicui negotiatori ut mittat fasciculum coronarum benedictarum, dum eas benedicere faciat post acceptam commissionem.

(2) Decret. Alexandri VII, 6 Februar. 1657.

(3) *S. C. Indulg.*, 29 Febr. 1820, 22 Mart. 1839. Hae declarationes S. Congr. respiciunt coronas benedicendas benedictione Apostolica, sed possunt et debent extendi etiam ab benedictionem Rosarii, cum ratio sit eadem. Cfr. quoad hoc, recens responsio S. Poenit., d. d. 21 Decemb. an. 1920. (*Act. Apost. Sedis*, an. 1926, p. 25).

Fuit etiam quaesitum a Congregatione S. Officii (sect. Indulgent.) si loco granorum quae inserviunt ad decades unam ab alia dividendas, inseri possent coronis parva numismata B. Virginis sine detrimento Indulgentiarum: et responsum est « nihil esse innovandum » (13 Martii 1909).

100. — Ultimo quaeri posset utrum ad lucrandas Indulgentias benedictioni coronarum adnexas, necesse sit *percurrere successive* Coronam in recitatione Rosarii, an sufficiat Coronam manu tenere vel in crumena. Et respondetur distinguendo: si Rosarium in communi recitatur, ad lucrandas omnes Indulgentias, etiam annexas benedictioni coronae, sufficit ut una persona percurrat Coronam et aliae se illi mente uniant in oratione (1); sed si Rosarium privatim recitatur, ad acquirendas indulgentias benedictionis necesse est ut unusquisque manu coronam habeat eamque percurrat dum recitantur preces; equidem hac sola conditione, nempe recitanti Rosarium cum corona benedicta, conceduntur Indulgentiae propriae benedictionis (2). *Indulgentiae propriae benedictionis*, diximus: quia cum Indulgentiae annexae Coronis per benedictionem sint omnino distinctae a ceteris indulgentiis recitationi Rosarii concessis, si quis, dum Rosarium recitat, manu coronam non tenet aut non percurrit, non lucratur indulgentias coronae benedictae, sed bene lucrari potest ceteras quae conceduntur recitationi SS. Rosarii, quaeque maximam partem constituunt. Advertant hoc Directores Sodalitatum et cultores Rosarii ad vitandum errorem valde communem quo fit, ut

(1) Pius IX, decr. *S. Congr. Indulg.*, 22 Ian. 1858.
(2) *S. C. Indulg.*, 13 Apr. 1726.

multi, negligant Rosarii recitationem, quia non reperiunt coronam vel ea prorsus carent. Sed perperam; etenim Corona benedicta, etsi habeat, ut vidimus, praestantissima privilegia et Rosario bene recitando utilissime inserviat, non constituit ullo modo essentiam huius devotionis, quae excellentissima semper et salutaris remanet, etiam si sine corona recitetur.

§ VII. — *De Rosis et Candelis benedicendis in honorem SS. Rosarii.*

101. — Post benedictionem Coronarum venit benedictio *Rosarum* et *Candelarum* quae, si ad Rosarium stricte non pertinent, benedicuntur tamen et opportune adhibentur in eius memoriam et veneratione.

Ut huius rei aliquid percipiamus, prius etiam quam de quocumque symbolismo loquamur, mentis oculos erigere debemus ad fontem essendi supremum, qui omnium rerum rationem ultimam continet. Deus enim, ens intellectuale infinite fecundum, voluit inde a temporum initio communicare quibusdam entibus e nihilo tractis vim sese reproducendi, quam nos fecunditatem appellamus. Et haec mysteriosa virtus, in visceribus cuiuslibet viventis latens, prima benedictio fuit, qua placuit Deo quasdam de suis creaturis praecipue ornare. Quando autem ipsum Dei Verbum creationem ingressum est homo factus, ea certe fuit benedictio suprema; etenim Verbum assumpsit in unitatem hypostasis humanam naturam eamque reddidit ineffabile instrumentum divinarum operationum. Sed benedictiones Hominis-

Dei, tam efficaces et operativae in quolibet momento eius terrestris peregrinationis, permanere debebant in mundo, qui perpetuo indiget divina virtute sustineri. Atque ita effectum est ut Iesus, qui tot gratiis et beneficiis Ecclesiam suam cumulatam voluit, in eam quoque transfuderit partem suae potentiae vivificatricis, ut eius divino influxu etiam benedictiones Ecclesiae mirum in modum fecundae forent.

102. — Modo ad rem nostram propius accedendo, rosae et candelae benedictae in memoriam SS. Rosarii, nedum pollent hac fecunditate et virtute salvifica, sicut quaelibet alia res quam consecret benedictio Ecclesiae, sed depromunt quoque a Rosario efficaciam et mysticas significationes. Rosa enim est una ex admirandis pulchritudinibus universi. Herbarius — ut meas faciam cogitationes cuiusdam mystici auctoris (1) — detegit in rosae staminibus, calice, purpureo colore, foliis, miram naturae geometriam et stupet. Poëta eam videt albicantem sicut adamas, rubescentem sicut pyropus eamque vocat purpuram vernam, florem regium, naturae risum, hominum caelitumque voluptatem. Theologus, a floribus ad Deum usque assurgens, cernit in rosa translucere creatricem maiestatem Verbi. Ecclesia denique appellat Virginem *Rosam mysticam*, et *Rosarium* praecipuam orandi formam qua eadem Virgo honoratur; quod fit, sine dubio, propter splendidam analogiam quae adest inter pulchritudinem florisque fragrantiam, et cor flagrans ac virginaliter fecundum Mariae; inter materiales coronas quibus solent homines ornare caducam pulchritudinem iuvenum fi-

(1) Del Corona, *Le Rose di Maria*, § XIX.

liarum Hevae, et coronas rosarum immarcescibilium quas devoti, Rosarium recitando, intexunt et ponunt in pulcherrima fronte Reginae caelorum. Quae sublimis analogia est ipsa ratio cur Ecclesia benedictionem ipsarum rosarum materialium approbavit, videlicet propter devotionem et venerationem Rosarii benedictae semperque Virginis Mariae (1).

103. — Neque minus pulchrae deprehenduntur relationes inter candelas benedictas et devotionem SS. Rosarii. In primis namque candela accensa ordinatur in symbolismo christiano ad significandas tres virtutes theologales: fidem quae illuminat, spem quae sursum tendit, caritatem quae inardescendo omnem animam christianam consumere debet. Et hae tres virtutes efficaciter aluntur recitatione SS. Rosarii, quod fidem corroborat mysteriorum meditatione, spem erigit ad thronum Mariae iterato recursu, caritatem incendit memoria immensi beneficii Redemptionis.

Praeterea, candor cerae repraesentat mysteria gaudiosa, virginitatem et maternitatem Deiparae; flamma, quae urit et consumit, mysteria doloris et immolationem peramantium cordium Iesu et Mariae; lux, quae a cera inflammata circum circa diffunditur, mysteria transfigurationis et glorificationis Paradisi. « Domine Iesu Christe, — orat Ecclesia in benedictione candelarum Rosarii — lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per intercessionem Virginis Mariae matris tuae et per quindecim eius Rosarii mysteria benedictionem tuam super hos cereos et candelas,

(1) Cfr. Formulam *Benedictionis Rosarum* in praesenti *Manuali*, c. VI, n. IV.

et sanctifica eas lumine tuae gratiae; et concede propitius, ut sicut haec luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra invisibili igne ac Spiritus Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant, ut puro mentis oculo cernere semper possimus quae tibi placita sunt et nostrae saluti utilia; quatenus post huius saeculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Amen » (1).

104. — Altis hisce conceptibus, quos fides, liturgia Ecclesiae et symbolismus christianus nobis suggerunt, confirmatur apud fideles et praesertim apud cultores SS. Rosarii legitimus et perquam pulcher usus rosarum et candelarum benedictarum.

Rosae benedictae, postquam sunt exsiccatae, conservantur a fidelibus veluti res cara atque pretiosa, in necessitatibus adhibendae, praecipue vero in infirmitatibus. In casu gravis aegritudinis applicantur aliqua folia ad partem infirmam vel etiam earum pulvis admiscetur cibo aut potui; et multa sunt facta mirabilia quae virtute rosarum benedictarum contigisse narrantur. Inter alia, historia Rosarii refert, de quodam Petro Gonzales Ulissiponensi, qui cum anno 1575 gravissime ex gutture laboraret et a medicis iam desperaretur, petiit paululum aquae cui mixtus esset pulvis rosarum benedictarum. Bibit credens, et illico convaluit. Et recens adhuc legimus miram sanationem virtute rosarum benedictarum obtentam.

105. — Usus etiam candelarum vel cereorum benedictorum est certe valde antiquus, et forte origo

(1) Formula *Benedictionis Candelarum* (Cfr. praesens *Manuale*, c. VI, n. V).

prima requirenda est in facto quod Confratres Rosarii curaverunt, iam a primis temporibus, ut benedicerentur et praecipue Virgini consecrarentur candelae vel cerei quos ipsi manu gestabant solemni momento quo in Sodalitatem accipiebantur, et qui postea inservire debebant in Processionibus prima dominica cuiusque mensis. Decursu tamen temporis huic primitivo fini benedictionis candelarum Rosarii alii quoque accreverunt, uti eas domi asservare et gravi imminente periculo accendere; lecto quoque suspendere ut accenderentur ab astantibus et, si fieri posset, ponerentur in manibus confratrum cum in extremo vitae agone versarentur.

Hac collucente candela, symbolo vivae fidei et ardentis caritatis quas Marianum Rosarium in animabus adhuc in terra peregrinantibus fecundaverat, istae, sicut iam virgines prudentes Evangelii, maiore cum fiducia videbantur ad ianuas aeternitatis pulsaturae accedere. Ecclesia vero, de filiis suis semper sollicita, maxime cum morti obluctantur, Indulgentiam plenariam concessit omnibus Rosarii Sodalibus qui semel saltem in vita integrum Rosarium recitaverint, et manu tenentes accensam candelam benedictam e vita decedant (1).

106. — Etiam benedictio Rosarum et Candelarum in honorem SS. Rosarii est reservata, quam scilicet impertiri non possunt nisi sacerdotes qui speciali facultate gaudent. Hi sunt Directores Sodalitatum a Rosario, et omnes qui a P. Generali Dominicanorum facultatem benedicendi Coronas Rosarii obtinuerunt: facultas namque benedicendi Rosas et

(1) Cfr. infra, pag. 181.

Candelas semper annectitur a P. Generali facultati benedicendi Coronas (1).

Speciale tempus ad impertiendas huiusmodi benedictiones non praescribitur; in aliquibus tamen locis consuetudo invaluit, ceterum laudabilis, reservandi benedictionem rosarum Dominicae Pentecostes, quae vulgo *Pascha Rosarum* dicitur; et, quod attinet ad candelas, benedictio ista praescribitur quoties novus ascriptus in Confraternitatem forma solemni recipitur. Sed etiam praeter istam caeremoniam, quovis anni tempore sive candelae sive rosae benedici possunt. Hoc unum quoad rosas, notetur, quod quocumque tempore benedicantur, semper naturales esse debent; recentes vero sint an aridae parum refert (2).

Debita igitur reverentia prosequantur Rosarii cultores etiam pias huiusmodi exercitationes carae devotioni annexae; rosas et candelas sibi benedicere faciant ut adhibeant in gravioribus necessitatibus et ad fines ad quos ab Ecclesia benedicuntur; iugiter memores solum sub influxu Verbi, ut supra monuimus, res benedictas suam efficaciam acquirere, divinumque illum influxum esse praecipue fructum nostrae devotionis.

(1) *Acta S. Sedis pro Societ. SS. Rosarii*, vol. I, cap. V, n. 111.
(2) *Ibidem*, n. 109.

CAPUT V.

De Indulgentiis.

§ I. — *De Indulgentiis in genere* (1).

107. — Vocatur *Indulgentia* — ab *indulgere*, quod est remittere, condonare — « remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae extra sacramentum concedit, pro vivis, per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii » (cfr. can. 911).

Quod ut recte intelligatur, recolendum est duos esse reatus quibus peccando obstringimur coram Deo: reatum *culpae* et reatum *poenae*. *Reatu culpae* amittimus Dei amicitiam omnesque gratias spirituales quae nos Illi coniungebant; *reatu poenae* efficimur digni severissimis castigationibus quibus et nostra delicta puniantur et iustitia Dei offensa reparetur. Cum autem duplex sit perturbatio per peccatum, praesertim mortale, inducta — quatenus videlicet et ad Deum et ad creaturas referimur — duplex quoque est poena: aeterna scilicet et temporalis.

Per Sacramenta, praecipue per Sacramentum Poenitentiae, misericordia Dei nos absolvit a gravi reatu culpae quem peccando incurrimus; et nova gratia sanctificans quae in animas nostras in-

(1) Cfr. P. Fanfani, *De Indulgentiis*, P. I, cap. I et VII.

funditur, restaurat in nobis filiationem adoptivam qua a poenis aeternis inferni liberamur, nec non restituimur, ut inquit S. Paulus, haeredes Paradisi (1). Neque repugnat quod bona Confessio tantum habeat efficaciae ut deleat, potenti vi doloris et gratiae, quodlibet vestigium peccati in animabus nostris. Communiter tamen, etiam post recepta Sacramenta quae nos in Dei amicitiam restituunt et consequenter liberant ab aeternis gehennae poenis, remanet semper, cum et perfecta contritio et perfectus Dei amor de facile desint, luenda pars aliqua poenae nostris peccatis debitae; poenae quidem *temporalis* quia certo finem habebit, sed *impraescindibilis*, cum eam et natura rerum et Dei iustitia postulent; in hac vita propterea vel in altera necessario exsolvendae.

108. — Celebres sunt in historia Ecclesiae leges poenitentiales quae per plura saecula moderatae sunt expiationem huius residui poenae temporalis, debitae peccatis iam in confessione absolutis; leges quae poenitentias admodum severas imponebant, per totam vitam interdum duraturas. Sed de huiusmodi poenitentiario regimine Ecclesiae quod per spatium plurium saeculorum viguit, hodie, sive propter mutata tempora, sive, et multo magis, propter refrigescentem christianorum fidem et fervorem, nullum vel fere nullum vestigium, nisi in historia, superest. Iniungit quidem confessarius quamdam poenitentiam in remissionem poenae peccatis debitae; sed quid parvae istae poenitentiae, quibus hodie confessarius contentus esse debet, valent, pro

(1) Epist. ad Romanos, cap. VIII, v. 17.

gravibus debitis quae etiam post confessionem nobis solvenda ut in pluribus manent?

109. — Igitur, sicut bonus Samaritanus Evangelii non tantum infudit oleum et vinum in vulnera infelicis hominis qui a latronibus male mulctatus fuerat, sed etiam duxit eum in stabulum, et data pecunia commisit stabulario ut suo nomine omnia impendia faceret quae ad sanationem saucii conferre iudicasset (1); ita Christus Dominus non modo instituit Sacramenta, medicinam nempe divinam et peccati cicatricibus obducendis maxime necessariam, sed Ecclesiae potestatem quoque dedit condonandi quamlibet poenam quae etiam post recepta Sacramenta luenda remaneat, applicando nobis, miseris peccatoribus, superabundantes satisfactiones suas, suae sanctissimae Matris et Sanctorum.

En quomodo: omne opus bonum duplicem valorem semper habet, meritorium et satisfactorium. Meritum illius est qui opus bonum perficit, cum sit ipsum augmentum gratiae et sanctitatis; valor vero satisfactorius — qui consistit in exolvendis poenis temporalibus pro peccato — vi communionis Sanctorum quae viget in Ecclesia, non solum pro nostris sed etiam pro peccatis fratrum nostrorum luendis applicari potest. Et quoniam nil coram Deo perit quod sit recompensatione dignum, inferendum est quod si quis bonis suis operibus maiorem fructum accumulet quam qui requiratur ad satisfaciendum poenae temporali propriis peccatis debitae, haec satisfactorii fructus redundantia quodammodo in Dei arbitrio remanet ad solvenda debita aliorum in Christo fratrum prae ceteris indigentium.

(1) Luc., cap. X, v. 33.

Nunc autem certum est Iesum Christum Dominum nostrum, quamvis nullum peccatum proprium habuerit expiandum, fecisse tamen opera bona infiniti valoris, et infinite satisfecisse, quantum in Eo erat, pro peccatis totius mundi. Similiter SS. Virgo, sine peccato concepta et usque ad mortem a quavis culpae labe immunis, tot opera bona fecit, dum in humanis ageret, ut, si non infinito modo, certe superabundanter satisfacere valeat gravissimis peccatis. Et inter Sanctos, quot innocentissimae vitae et a quacumque gravi culpa immunes, asperrimas poenitentias arduarumque virtutum exercitium coniunxerunt? Adest igitur in conspectu divinae iustitiae magnus thesaurus satisfactionum, qui, iuxta intentionem ipsorum offerentium et naturam corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, potest et debet refundi in membra, quae maiori egestate laborant. Deque hoc communi thesauro accumulato apud Deum decursu saeculorum meritis Iesu Christi, eius Sanctissimae Matris omniumque iustorum, Ecclesia — dispensatrix in hoc mundo caelestium favorum — accipit eam partem meriti satisfactorii, quam per Indulgentias applicat dignioribus ex filiis suis.

Sunt itaque Indulgentiae, iuxta conceptum christianum, ultimus conatus misericordiae Dei et Ecclesiae ad tristes effectus peccati integre reparandos. Rarae quidem prima Christianismi aetate, cum peccatores in fervore sincerae contritionis ipsi agebant veram et condignam admissorum poenitentiam; sat frequentes hisce ultimis temporibus, in quibus insufficientiae nostrae peccatorum debitis extinguendis, debuit pia Mater Ecclesia amanter occurrere, et de communi thesauro pro nobis solvere, ne diutius in squalenti purgatorii carcere puniendi

detineremur. Iustitia et pax obsculatae sunt, aiebat regius Propheta de incarnatione Verbi (1); divina haec verba sacris quoque Indulgentiis aptari possunt.

110. — Indulgentiae, de quibus modo, sunt duplicis generis: plenariae et partiales. *Plenariae*, cum Ecclesia tantam partem de communi thesauro alicui applicat, quanta requiritur ad integre compensandam omnem satisfactionem peccatis praecedentibus forte debitam. *Partiales* vero, si per Indulgentias efficit filios suos participes communis thesauri ut sua quisque debita solvat, non iam sumendo quantum foret necessarium eorum rationibus exaequandis, sed tantummodo partem determinatam. Hinc Indulgentia plenaria suapte natura ordinata est ad remittendas omnes poenas temporales, quae post absolutionem peccatorum luendae superessent; ita ut si, rite acquisita Indulgentia plenaria, nobis mori contingeret, confestim in caelum migraremus; idem esset de anima in cuius suffragium applicaretur indulgentia plenaria a nobis acquisita, et in remissionem poenae eidem debitae a divina iustitia accepta. Per Indulgentias vero partiales — quae generatim sunt annorum, quadragenarum aut dierum — remittitur acquirenti vel animabus quibus applicantur, tantum illius poenae temporalis quae luenda remanet, quantum lueretur totidem annis, quadragenis vel diebus illarum poenitentiarum quas Ecclesia peccatoribus antiquitus imponebat secundum leges poenitentiales. En cur Indulgentiae partiales solent determinari per dies, annos aut quadragenas; videlicet non ad significandum quod pro uno anno vel centum dierum Indulgentiae nobis condonentur unus

(1) Psalm. LXXXIV, v. 11.

annus vel centum dies purgatorii; sed quod vi illius Indulgentiae satisfacimus divinae iustitiae eadem mensura qua primitivi christiani uno anno aut centum diebus de vera poenitentia satisfaciebant. Sic, exempli gratia, indulgentia *septem quadragenarum* significat quod, per illam indulgentiam a nobis acquisitam, tantum luitur illius poenae temporalis nostris peccatis debitae quantum si per *septem quadragenas* — *quadragena* idem est ac *quadragesima* seu spatium quadraginta dierum — ieiunium cum poenitentia sociaremus.

111. — Ex his brevissimis notionibus de natura Indulgentiarum facile deducitur earum valor, necnon utilitas pro bono spirituali fidelium. Aliter, cum agendae poenitentiae nos hodie tam vehementer repugnemus, quomodo possemus ab ingenti poenarum temporalium cumulo liberari, quem et cotidie peccando augemus? Quae tamen si remaneant, multo longior nobis et atrocior in altera vita purgatorius erit. Sed insuper Indulgentiae non solum nobis, verum etiam, ut iam monuimus, animabus in Purgatorio detentis tantorum bonorum causa sunt dicendae. Sicut enim potest homo dives, propria largitate ductus, alterius debita solvere qui nequeat se a creditoribus expedire; ita nihil prohibet quominus et nos Domino valorem satisfactorium alicuius operis boni offeramus, ut accipiatur in exaequationem debitorum quibus haec vel illa anima divinae iustitiae obligetur.

Et si possumus offerre pro animabus in Purgatorio gementibus partem satisfactoriam bonorum operum, cur non etiam sacras Indulgentias a nobis acquisitas, quae sunt ex satisfactoriis operibus praestantissima?

Sufficit ut Ecclesia, communis thesauri dispensatrix, id nobis permittat; et revera permittit quoties declarat Indulgentias a se concessas *applicabiles etiam animabus defunctorum esse.*

En igitur quomodo per Indulgentias possumus paene innumeros actus amoris et misericordiae exercere erga animas nobis carissimas quae expectant et forte ius habent ut a nobis adiuventur; en quomodo augere valemus numerum nostrorum intercessorum in caelo: siquidem, exilii tempore breviato, illae beatae animae non desinent gratias et specialia auxilia suis benefactoribus impetrare; en denique quomodo ad maiorem gloriae Dei manifestationem concurrere possumus, cum omnis anima quae paradisum ingreditur sit non solum novus triumphus meritorum sanguinis Iesu Christi, sed et numerum illorum spirituum augeat, qui circa thronum Dei eius gloriam iugiter concinunt: *gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto, hosanna in excelsis.*

§ II. — *De Indulgentiis SS. Rosarii deque conditionibus ad earumdem acquisitionem.*

112. — Summus Pontifex Leo XIII, qui a die prima septembris anni 1883 numquam destitit, diuturni spatio pontificatus, inculcare fidelibus devotionem SS. Rosarii pluribus ad hoc editis Decretis et Encyclicis, in harum postrema, data die 5 Septembris anni 1898, ita loquitur Episcopis Orbis catholici: « Illud reliquum erat ut moneremus, plurimum pretii atque utilitatis accedere Rosario Mariali ex privilegiorum ac iurium copia quibus ornatur, in primisque *ex thesauro*, quo fruitur, *Indulgentiarum amplissimo.*

Quo quidem beneficio ditescere quanti omnium intersit qui de sua sint salute solliciti, facili negotio intelligi potest. Agitur enim de remissione consequenda, sive ex toto sive ex parte, temporalis poenae, etiam amota culpa, luendae aut in praesenti vita aut in altera... Itaque Nos etiam, rati his beneficiis atque *Indulgentiis* Marialem coronam pulchrius collucere quasi gemmis distinctam nobilissimis, consilium diu mente versatum maturavimus edendae *Constitutionis* de iuribus, privilegiis, *indulgentiis*, quibus Sodalitates a Sacratissimo Rosario perfruantur » (1). Haec Constitutio, quae incipit « *Ubi primum* », toties a nobis citata, quaeque nunc totius rosarianae legislationis est fundamentum, dividitur in sexdecim paragraphos, quorum ultimus haec de Indulgentiis habet: « Magistri Generalis (Ord. Praedicatorum) cura et studio, absolutus atque accuratus, quamprimum fieri potest, conficiatur *Index* Indulgentiarum omnium, quibus Romani Pontifices Sodalitatem Sacratissimi Rosarii ceterosque fideles illud pie recitantes cumularunt, a Sacra Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita expendendus et Apostolica auctoritate confirmandus ».

Magister Generalis Fratrum Praedicatorum, iucundo huic mandato obtemperans, sollicite exhibuit S. Congregationi *Indicem omnium Indulgentiarum Rosarii* quem ipsa diligenter inspexit; et, post introductas mutationes quae visae sunt opportunae, approbationi Leonis XIII subiecit, qui benigne dignatus est *Novum Indicem Indulgentiarum Rosarii* approbare, Apostolica auctoritate confirmando omnes Indulgentias in eo contentas et, quatenus opus

(1) Encycl. « *Diuturni temporis* », 5 Sept. 1898.

esset, denuo concedendo; simul praecipiens ut ceterae Indulgentiae Sodalitatis a SS. Rosario, praeter eas quae in novo Indice referebantur, abrogatae seu revocatae haberentur (1).

Breves istae notitiae historicae necessariae visae sunt ad non confundendos veteres catalogos Indulgentiarum Rosarii cum novo Indice, cum explicitae dispositiones S. Sedis efficiant ut non aliis Indulgentiis fruatur nunc Rosarium, quam quae continentur in novo *Catalogo* seu *Indice*, et eo modo dumtaxat quo ibi continentur (2).

113. — Eiusmodi Indulgentiae, *plenariae* vel *partiales*, quaedam conceduntur in communi omnibus fidelibus, quaedam solis Ascriptis Sodalitati a Rosario; aliae denique membris Associationum *Rosarii Perpetui* vel *Rosarii Viventis*. Multae acquiri possunt quovis anni tempore; contra, nonnullae solummodo diebus determinatis, ut sunt praecipuae Festivitates Domini et Deiparae; vel etiam diebus arbitrio fidelium eligendis, dum iam quibusdam iniunctis operibus satisfecerint. Inter Indulgentias plenarias notanda est Indulgentia *toties quoties* in Festo SS. Rosarii (3); et hodie etiam indulgentia plenaria concessa recitantibus unam tertiam partem Rosarii coram Sanctissimo Sacramento etiam in ciborio reposito (4). Inter vero partiales prorsus extra-

(1) Cfr. *Decretum S. C. Indulg.*, 29 Aug. 1899.

(2) Excipitur Indulgentia centum annorum totidemque quadragenarum semel in die concessa ascriptis Coronam deferentibus; quae omissa in novo Indice, fuit confirmata rescripto S. P. Pii X (Cfr. *supra*, p. 135). — Pariter excipiendae sunt Indulgentiae concessae *Rosario Perpetuo et Viventi*, in *Novo Indice* non contemplatae, cum agat unice de Rosario in genere et de Sodalitate; sicut etiam quaevis Indulgentia post publicationem istius *Indicis* concessa.

(3) Cfr. supra, c. IV, § 4.

(4) Cfr. infra, pag. 165, n. 3.

ordinariae sunt: indulgentia quinque annorum totidemque quadragenarum (2025 dierum) Ascriptis concessa quoties, recitando Rosarium, nomen Iesu in Salutatione Angelica devote proferunt (1); indulgentia centum dierum pro « quolibet Pater noster » et « qualibet Ave Maria » omnibus fidelibus, si recitant Rosarium cum Corona benedicta a Fratribus Praedicatoribus vel ab alio legitima facultate munito; necnon indulgentia centum annorum et totidem quadragenarum semel in die ab omnibus confratribus lucranda qui Coronam benedictam deferunt (2).

114. — Nihilominus, etiam ad lucrandas Indulgentias Rosarii, sicut quamlibet aliam, necesse est satisfacere omnibus conditionibus sive ab ipsa Indulgentiarum natura sive a voluntate S. Pontificis concedentis requisitis. Neque bona fides excusare valet a fideli adimpletione eorum quae pro acquisitione sacrarum Indulgentiarum praescribuntur. Iuvat igitur praecipuas conditiones requisitas breviter indicare, quae sunt: 1° intentio, saltem virtualis, acquirendi Indulgentias (conf. can. 925, § 2); 2° status gratiae, saltem in fine operum praescriptorum (can. 925, § 1); 3° opera iniuncta sponte et complete implere, statuto tempore et loco, ac debito modo secundum concessionis tenorem (can. 925, § 2).

1° *Intentio, saltem virtualis, acquirendi Indulgentias* (can. 925, § 2). — Intentio est actus quo voluntas determinatur ad aliquid volendum; et, in nostro casu, ad acquirendas Indulgentias. Potest esse actualis aut virtualis. *Actualis*, dum quis, quoties aliquid facit vel precem recitat, renovat inten-

(1) Cfr. infra, pag. 170, n. 7.
(2) *Rescriptum* Pii X, datum die 11 Iulii 1906.

tionem lucrandi Indulgentias eidem rei forte annexas. *Virtualis*, cum semel facta et non revocata, intentio, etiam generaliter facta, lucrandi Indulgentias bonis operibus annexas, intelligitur perseverare donec talia opera sint adimpleta. Quae virtualis intentio, cum sit usu facilior, consulenda est pro acquisitione Indulgentiarum. Et ad hoc maxime confert pia praxis renovandi mane cotidie intentionem generalem lucrandi omnes et singulas indulgentias quae per diem acquiri possunt, intentionem etiam addendo applicandi illas indulgentias, quae nobis forent superfluae, sanctis animabus Purgatorii. Et sic nihil peribit satisfactorii fructus, quem Ecclesia in nostra facultate ponit.

2° *Status gratiae* (can. 925, § 1). — Etenim qui gravis culpae reus est coram Deo, quomodo potest ab Eo sperare remissionem, ex toto vel ex parte, poenae suis peccatis debitae? Remissio namque poenae temporalis, quae est unicus effectus Indulgentiarum, tam plenariarum quam partialium, supponit necessario remissionem culpae et poenae aeternae; hinc fieri non potest ut qui in statu gravis peccati versatur lucretur Indulgentias; sicut nec fieri potest ut alio quocumque bono opere divinae iustitiae satisfaciat. Oh! si christiani probe intelligerent hunc tristissimum effectum mortalis peccati, reddendi nempe animam incapacem sibi et aliis opitulandi ipso bonorum operum exercitio, quam studiosius se a peccato abstinerent; et quam celerius, si forte lapsi, Poenitentiae sacramento se abluerent! (1).

(1) Quidam theologi admittunt Indulgentias *animabus Purgatorii applicandas* acquiri posse etiam in peccato mortali, dummodo nec vera contritio requiratur nec praescribatur confessio. De qua re interrogata S. Congregatio Indulgentiarum respondit: « *consulat probatos auctores* » (*S. Flori*, die 22 Febr. 1847). Et die 20 Aug. 1822 iam responderat: *ad ter-*

Quamobrem tutius est ad acquirendas Indulgentias recitatione Rosarii aut alio quovis opere bono, prius in proprio corde contritionis sensus excitare; imo ipsa Ecclesia, quoad Indulgentiam Plenariam, fere semper imponit, ut opus obligatorium, Confessionem et Communionem, quae sunt duo magna Sacramenta ad deletionem peccati et pravorum affectuum ordinata. Cum enim remissio poenae supponat remissionem culpae, ille qui vel uno veniali peccato gravaretur, non potest obtinere totalem remissionem poenae sibi debitae, sed tantum partialem, illam scilicet quae debetur culpis iam remissis; sicque non foret possibilis Indulgentia Plenaria (1). Sufficit tamen, ut diximus, esse in gratia Dei momento quo peragitur ultimum opus iniunctum ad lucrandas Indulgentias (can. 925, § 1).

3° *Sponte, complete, statuto tempore et loco ac debito modo implere opera iniuncta.* — Praeter Confessionem et Communionem, pro acquisitione sacrarum Indulgentiarum praescribuntur fere semper alia opera bona, ut visitare aliquam Ecclesiam, piae preces, opus quoddam caritatis, etc. Haec opera iniuncta, ut valeant ad acquisitionem Indulgentiarum oportet satisfaciant omnibus conditionibus enumeratis, videlicet fiant:

a) *Sponte*, ita quod non sint opera ad quae praestanda iam quis alio titulo teneatur (can. 932). Sic, exempli gratia, si ad lucrandam Indulgentiam dies ieiunii praescriberetur, non sufficeret ieiunare die quo iam ex alia Ecclesiae lege urget ieiunium, sed oporteret ieiunare alio die. Et idem dicatur de

tium, dilata (*Decreta authentica*, n. 341, p. 291; et n. 253, p. 228). — Cfr. ad rem P. FANFANI, *De Indulgentiis*, P. I, cap. VIII, § 2, n. 22-A.

(1) S. ALPHONSUS, *Theol. Moral.*, l. 6, n. 534.

alio quocumque opere forte iniuncto. Excipe si agatur de opere bono vel de precibus a confessario iniunctis pro sacramentali poenitentia, quae si fuerint indulgentiis ditata, ut puta Rosarium, per ipsam adimpletionem operis et poenitentiae Sacramentalis satisfit et indulgentiae acquiri possunt (can. 932).

b) *Complete:* nam quoties haud mediocris pars iniunctorum operum ignorantia, impotentia aut alia quavis ratione omittatur, vel modo ac tempori adimplendi notabiliter derogetur mutando festum, ecclesiam visitandam, etc., Indulgentiae non acquiruntur. Haec regula non patitur exceptiones, nisi omissio tam levis sit — ut quarumdam Salutationum in recitatione Rosarii — quae nullam pariat sollicitudinem. Potest tamen confessarius opera iniuncta ad lucrandas Indulgentias in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant (can. 935).

c) *Statuto tempore*, ita scilicet ut indulgentiae determinatis diebus vel determinatis temporibus affixae neque anticipari valeant, neque posticipari, etiam per unam horam. Notandum vero quod quoties ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam praescribitur visitatio ecclesiae vel oratorii, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit (can. 923). Quod si festum cui annectitur Indulgentia transferatur in alium diem sive quoad Officium sive quoad *externam solemnitatem* et translatio fiat in perpetuum, transferuntur etiam Indulgentiae. Si, contra, transferatur Officium ad tempus vel in perpetuum, sed externa solemnitas suo die celebretur, Indulgentiae eo die acquiruntur quo celebratur solemnitas externa. Indulgentiae vero, octavario alicuius

festi perdurante lucrandae, transferuntur vel secus, iuxta dicta de eodem festo (can. 922).

d) *Statuto loco.* — Indulgentiis praesertim plenariis acquirendis, fere semper apponitur conditio *de visitatione alicuius ecclesiae* aut publici oratorii. Quando ecclesia vel cappella visitanda est determinata — pro Indulgentiis Rosarii praescribitur communiter visitatio Cappellae Sodalitatis — huic nulla de causa alia suffici potest sine permissione confessarii (can. 935). Quod si ecclesia vel publicum oratorium arbitrio lucrantis eligenda relinquantur, advertendum est non esse oratorium publicum, *quod attinet ad Indulgentias*, illud quod erigitur in monasteriis, in conventibus, in seminariis, in omni denique loco quo populus non possit nec soleat publice accedere. Confratribus tamen Rosarii qui degunt in Monasteriis, Collegiis, Seminariis et similibus locis, unde libere egredi non possunt, conceditur facultas lucrandi omnes Indulgentias Rosarii, tam plenarias quam partiales, quibus annexa sit conditio de visitanda ecclesia Sodalitatis, visitatione Ecclesiae vel Cappellae proprii Instituti (1).

Notandum quoque quod si praescripta sit visitatio non ecclesiae sed alicuius cappellae vel altaris, non sufficit ut quis oret in ecclesia, sed debet se conferre ad illam determinatam cappellam vel altare, aut saltem ibi consistere unde altare vel cappella videri possint (2).

e) *Debito modo.* — Equidem si non solum opus perficiendum praescribitur sed etiam *modus* quo perfici debet, haec circumstantia habenda est ut necessaria in acquisitione Indulgentiarum (can. 925,

(1) *S. C. Indulg.*, 11 Aug. 1871 et 8 Febr. 1874.
(2) Adrianus VI, 1 Apr. 1523. — Clemens VII, 4 Apr. 1524.

§ 2); dum e contra, si nihil iniungatur *quoad modum* adimplendi talia opera, plena fit facultas lucranti hoc vel illo modo eadem peragendi (1). Ita, exempli gratia, si preces sunt *ad libitum*, ad lucrandas Indulgentias recitari potest quaecumque oratio, dummodo non sit nimis brevis: quinque *Pater*, *Ave* et *Gloria* vel aliae aequivalentes certe sufficiunt.

Preces tamen, cum aliud non cavetur, debent semper esse *vocales* (can. 934, § 1); quod autem attinet ad orationem ad *mentem Summi Pontificis*, generaliter intelligitur facienda pro triumpho Ecclesiae, haeresum exstirpatione, concordia principum christianorum, fidei propagatione, conversione peccatorum, iustorum perseverantia; atque certe sufficit ad huic conditioni satisfaciendum, orare in genere *ad mentem Summi Pontificis;* vel etiam, ut volunt quidam probati auctores, orare cum intentione lucrandi Indulgentias.

4º Ad *Confessionem* quod attinet animadvertendum quod, si ad Indulgentias acquirendas praescribatur:

a) remanet obligatoria etiam pro iis qui sunt in statu gratiae (*S. C. Indulgentiarum*, 17 Dec. 1870); sed tunc non est necesse recipere absolutionem (*S. C. Indulg.*, 19 Maii 1759);

b) non requiritur tamen ut fiat ipso die Indulgentiae; sufficit ut peragatur intra octo dies qui praecedunt vel etiam intra subsequentem totam octavam (can. 931, § 1);

c) imo Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad Poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam Communionem

(1) *S. C. Indulg.*, 29 Maii 1841, et 13 Sept. 1888.

saltem quinquies in hebdomada recipere, possunt omnes indulgentias consequi etiam sine actuali confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, indulgentiis Iubilaei unice exceptis (can. 931, § 3).

5º Pariter, quantum ad *Sacram Communionem:*

a) quando praescribitur, debet esse *sacramentalis* et non *spiritualis* tantum;

b) potest semper recipi a pervigilio diei cui affigitur Indulgentia vel etiam infra subsequentem totam octavam (can. 931, § 1);

c) in qualibet ecclesia peragi potest; nec requiritur ut sit ecclesia ubi indulgentia lucranda est;

d) una Communio sufficit pro omnibus indulgentiis quae eodem die acquiri possunt, etiam si pro singulis praescribatur sacra Communio. Idem dicatur de Confessione (can. 933).

115. — Finem huic paragrapho imposituri, antequam in sequenti omnes Rosarii Indulgentiae enumerentur, unum adhuc inquiremus, cur nimirum Summi Pontifices devotionem S. Rosarii tot Indulgentiis certatim cumulaverint, ita ut a temporibus Leonis X acta pontificia sint de ea re paene innumera.

Scriptor quidam de rebus rosarianis (1) facti rationem in eo reperit, quod cum Indulgentia nihil aliud sit quam applicatio Redemptionis nobis ab Ecclesia facta, nulla alia oratio huic applicationi Rosario se praebet aptiorem. In sua namque materia Rosarium est epitome historiae et theologiae Redemptionis, et triplici mysteriorum serie formationem, immolationem et glorificationem Redempto-

(1) Del Corona, *Le Rose di Maria*, § XX.

ris contemplatur. Si vero in anima contemplantis spectetur, est nexus contemplationum et precum, cultus interni et externi exercitium, diligens amansque recogitatio vitae, passionis et gloriae Filii Dei; necnon gaudiorum, aerumnarum, triumphorum eius beatissimae Matris; sicque aptissime efficit ut anima cum Christo communicet qui, ait S. Paulus, habitat per fidem in cordibus nostris (1). Hae, profundae rationes quibus Summi Pontifices moti videntur ad thesauros Indulgentiarum in contemplantes Rosarium effundendos; quod ex apposita conditione meditandi mysteria, magis magisque constabit. Sane, qui mysteria meditatur accedit ad fontes Salvatoris, quia mysteria nil aliud sunt quam actiones et passiones Verbi incarnati, unde merita et satisfactiones Christi, ut a fonte dimanant. Et qui cum corde fidei illorum mysteriorum patulo *Pater* et *Ave* recitat, pleno pectore haurit halitum Dei, divini sanguinis fragrantia inebriatur, et Christo vivit.

En pulcherrimum vinculum inter Indulgentias et Rosarium.

§ III. — *Index generalis Indulgentiarum SS. Rosarii.*

Pars Prima

Indulgentiae omnibus Christifidelibus communes.

I. — Pro recitatione Rosarii:

1. — Indulgentia Plenaria, semel in anno, si singulis diebus saltem tertiam partem Rosarii recitant, et die ab ipsis eligenda Sacramentis reficiuntur,

(1) Eph. III, 17.

dummodo adhibeant coronam ab aliquo religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio sacerdote deputato (1), benedictam (*Append. ad Novum Indicem Indulgentiarum Rosarii S. Congr. Indulgentiarum*, 29 Aug. 1899, n. 1).

2. — Indulgentia Plenaria in ultima singulorum mensium dominica, si saltem ter in hebdomada tertiam partem Rosarii una cum aliis sive domi, sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio recitant, et in dicta ultima dominica Sacramentis refecti aliquam ecclesiam seu aliquod publicum oratorium visitant, ibique secundum mentem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 5).

3. — Indulgentia Plenaria quotiescumque poenitentes et confessi ac sacra Communione iuxta morem refecti, coram Sacratissimi Corporis Christi Sacramento ad publicam fidelium venerationem exposito, vel etiam in tabernaculo asservato, tertiam Beatae Mariae Virginis Rosarii partem devote recitaverint (Breve Pii XI « *Ad Sancti Dominici* », die 4 Sept. 1927; — Cfr. *Acta Apost. Sedis*, anno 1928, pag. 376).

4. — Indulgentia centum dierum pro quolibet « Pater noster » et qualibet « Ave Maria », si integrum Rosarium vel saltem tertiam partem recitant, dummodo Rosarium sit benedictum ab aliquo religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio sacerdote deputato (*Appendix ad Novum Indicem* etc., n. 2).

5. — Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum, quoties tertiam partem Rosarii recitant (*Ibidem*, n. 3).

6. — Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, semel in die, si una cum aliis sive domi,

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 6.

sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio publico seu privato, saltem tertiam partem Rosarii recitant (*Ibidem*, n. 4).

II. — **Pro Novenario in honorem Deiparae Virginis a Rosario:**

1. — Indulgentia Plenaria, si quovis anni tempore per novem dies in honorem Reginae Sacratissimi Rosarii piis exercitiis operam dant, recitando preces a legitima auctoritate approbatas, die ad arbitrium uniuscuiusque eligendo, sive intra novendiales, sive intra octo dies immediate sequentes novendium, quo vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti iuxta mentem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 8).

2. — Indulgentia tercentorum dierum pro omnibus aliis diebus novendii, quibus in dictis orationibus se exercent (*Ibidem*, n. 9).

III. — **Pro exercitio Quindecim Sabbatorum** (1):

1. — Indulgentia Plenaria in uno ex quindecim sabbatis continuis, arbitrio uniuscuiusque eligendo, si singulis sabbatis Sacramenta suscipiunt, et tertiam partem Rosarii recitant, vel aliter eiusdem mysteria devote recolunt (*Ibidem*, n. 6).

2. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, omnibus sabbatis numero praecedenti non comprehensis (*Ibidem*, n. 7).

Nota. — Quoties fideles legitime impediuntur quominus praefatum exercitium die sabbati peragant, absque Indulgentiarum iactura illud die dominica explere possunt (*Ibidem*, n. 6).

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 3.

IV. — **Pro Festo Sacratissimi Rosarii** (1):

1. — Indulgentia Plenaria *toties quoties* in festo SS. Rosarii, si Sacramentis refecti, a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem ipsius Festi, in memoriam victoriae super Turcas apud Echinadas insulas ope Rosarii reportatae, Cappellam vel effigiem B. M. Virginis in ecclesia expositam visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Novus Index Indulgentiarum Rosarii, S. Congr. Indulg.*, 29 Aug. 1899, P. II, n. 62; cfr. etiam can. 923). cf. Vol. XXII p. 43 AAS.

Nota. — Ad lucrandam praefatam Indulgentiam, Confessio peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem Festum; Communio autem in pervigilio eiusdem diei: utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam (can. 931, § 1).

2. — Indulgentia Plenaria, in uno die octavae festi SS. Rosarii ad arbitrium uniuscuiusque eligendo, si Sacramentis refecti, Cappellam SS. Rosarii vel simulacrum B. M. V. in ecclesia expositum visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 63).

3. — Indulgentia Plenaria, si in die festo B. V. de Rosario vel aliquo die infra octavam, Sacramenta rite suscipiunt et aliquam sacram aedem visitant ibique ad mentem Summi Pontificis orant, dummodo die festo et singulis per octavam diebus, sive publice in aliqua ecclesia sive privatim tertiam partem Rosarii recitent (*Appendix ad Novum Indicem*, n. 10).

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 4.

V. — **Pro mense Octobri** (1):

1. — Indulgentia Plenaria, si post octavam festi SS. Rosarii saltem decies infra eumdem mensem Octobris, sive publice in aliqua ecclesia, sive privatim, tertiam partem Rosarii recitant, et die ab ipsis eligendo Sacramenta rite suscipiunt, aliquam ecclesiam visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Appendix etc.*, n. 11).

2. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum pro quovis die mensis octobris, quo fideles tertiam partem Rosarii sive publice in aliqua ecclesia sive privatim recitant (*Ibidem*, n. 12).

VI. — **Pro certis anni Festivitatibus:**

Indulgentia Plenaria in festo Corporis Christi et in festo Sancti Titularis ecclesiae, si Sacramentis refecti Cappellam SS. Rosarii visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Novus Index, etc.*, P. II, n. 64).

VII. — **Pro Processione mensili:**

Indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum, prima dominica cuiuslibet mensis, si processioni intersunt (*Ibidem*, n. 61).

ANIMADVERSIO. — Omnes Indulgentiae in hac Prima Parte recensitae sunt defunctis quoque applicabiles. (*Novus Index etc.*, P. II, n. 65; *Appendix ad Novum Indicem*, n. 13; cfr. quoque can. 930).

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 4.

Pars Altera.

Indulgentiae Rosarii sodalibus propriae.

I. — Pro ascriptione in Confraternitate (1):

1. — Indulgentia Plenaria, si confessi sacraque Communione refecti in Confraternitatem recipiuntur (*Novus Index etc.*, P. I, n. 1).

2. — Indulgentia Plenaria, si legitime inscripti et confessi, Eucharistiae Sacramentum sumunt in Ecclesia seu Cappella Confraternitatis, tertiam partem Rosarii recitant et ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 2).

Nota. — Qui confraternitati ascribuntur, has indulgentias aut ipsa ascriptionis die, aut die dominica vel festiva proxime sequenti lucrari possunt (*Ibidem*).

II. — Pro iis qui Rosarium recitant:

1. — Indulgentia Plenaria, semel in die lucranda a confratribus qui confessi ac sacra Communione refecti, intra spatium unius diei naturalis Rosarium integrum, etiamsi decades pro suo libitu separent, pro triumpho S. Matris Ecclesiae recitant, et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitant (*S. C. Indulg.*, 12 Iunii 1907).

2. — Indulgentia Plenaria, semel in vita, si Rosarium integrum ex instituto Confraternitatis per hebdomadam recitant (*Novus Index etc.*, P. I, n. 3).

3. — Omnes indulgentiae quae in Hispania conceduntur coronam B. Mariae V. recitantibus (2), si integrum Rosarium recitant (*Ibidem*, n. 4).

(1) Cfr. supra, cap. III, § 3.

(2) Quae et quot sint huiusmodi Indulgentiae auctores non concordant inter se; agitur de indulgentiis plenariis et partialibus concessis fidelibus

4. — Indulgentia quinquaginta annorum, semel in die, si tertiam partem Rosarii recitant in Cappella SS. Rosarii seu saltem in conspectu altaris praedictae Cappellae, vel si extra civitatem in qua erecta est confraternitas commorantur, in ecclesia vel oratorio publico quocumque (*Ibidem*, n. 5).

5. — Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, si ter in hebdomada Rosarium recitant, pro qualibet vice (*Ibidem*, n. 6).

6. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, pro qualibet hebdomada, si integrum Rosarium recitant (*Ibidem*, n. 7).

7. — Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum quoties, recitando Rosarium, in Salutatione Angelica nomen *Iesu* devote proferunt (1) (*Ibidem*, n. 8).

8. — Indulgentia duorum annorum, si integrum Rosarium per hebdomadam dicendum, per tres dies distribuunt, pro unoquolibet ex his tribus diebus quo tertiam partem Rosarii recitant (*Ibidem*, n. 9).

pro recitatione cuiusdam *Coronae B. Virginis*, quae nempe componitur vel ex 63 *Ave Maria*, et dicitur de S. Birgitta; vel ex 72, quae vocatur Corona Franciscana. Has indulgentias, quae a Summo Pontifice Paulo III ad omnes fideles Hispanici regni integrum Rosarium recitantes iam extensae fuerant, Innocentius XI extendit ad omnes Sodales SS. Rosarii (Cfr. P. Esser, O. P., *Le S. Rosaire etc.*, c. XIV, p. 252).

(1) Summus Pontifex Innocentius VIII per Constit. *Splendor paternae gloriae*, datam die 26 Febr. 1491, concesserat indulgentiam 5 annorum totidemque quadragenarum quoties, recitando Rosarium, adiungeretur nomen *Iesu* in fine cuiusque *Ave Maria*. Quoad hoc notandum est quod antiquitus *Ave Maria* terminabatur verbis S. Elisabeth: *Benedictus fructus ventris tui;* et ideo ad lucrandam huiusmodi indulgentiam oportebat addere *Iesus*. Multo serius, scilicet sub S. Pio V, *Ave Maria* prouti nunc recitatur, id est cum adiunctione secundae partis: *Sancta Maria etc.*, inserta fuit Breviario Romano. — Nonnulli fideles, regionum praesertim meridionalium, ad praedictam Indulgentiam lucrandam sic *Ave Maria* terminabant: *nunc et in hora mortis nostrae amen. Iesus.* Sed Sacra Congregatio Indulgentiarum, hac de re interrogata (29 mart. 1886), declaravit praefatas Indulgentias acquiri cum profertur nomen *Iesu* in prima parte Salutationis, videlicet: *benedictus fructus ventris tui Iesus.*

9. — Indulgentia tercentorum dierum, si recitant tertiam partem Rosarii (*Ibidem*, n. 10).

10. — Indulgentia centum dierum, quoties alios inducunt ad tertiam partem Rosarii recitandam. (*Ibidem*, n. 11).

11. — Indulgentia tercentorum dierum semel in die, si dominicis vel festis diebus in aliqua ecclesia Ordinis Praedicatorum assistunt exercitio recitandi vel canendi processionaliter singulas Rosarii decades coram singulis mysteriis sive in pariete, sive in tabulis depictis (1) (*Ibidem*, n. 12).

12. — Indulgentia Plenaria in festo Annuntiationis B. M. V., si confessi et Communione refecti Rosarium recitant (*Ibidem*, n. 13).

13. — Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, in festis Purificationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V., si Rosarium recitant (*Ibidem*, n. 14).

14. — Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum in festis Resurrectionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., si tertiam partem Rosarii recitant (*Ibidem*, n. 15).

15. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in reliquis festis D. N. I. C. et B. M. V., in quibus sacra ipsius Rosarii mysteria recensentur; scilicet, in festis Visitationis B. M. V.,

(1) Dominicani de Quito, in Aequatore, primi introduxerunt, non multis abhinc annis, methodum recitandi Rosarium ad instar *Viae Crucis*. Quae methodus quantum extendatur ignoramus; hoc autem certum est quod in illa Processione debet recitari Rosarium integrum et non tantum tertia pars; in parietibus ecclesiae adesse debent depicta aut tabulis expressa singula Mysteria, et populus comitari debet illum qui Processioni praeest eodem modo quo in exercitio *Viae Crucis* fieri solet (Cfr. *S. Congr. Indulg.*, 21 Maii 1892). Bergomi etiam, in veteri Praedicatorum Ecclesia S. Bartholomaei, loco tabularum *Viae Crucis* etiam nunc iuxta parietes sculpta apparent *XV Mysteria SS. Rosarii*.

Nativitatis D. N. I. C., Purificationis et Compassionis B. M. V. (feria sexta post Dominicam Passionis), Ascensionis D. N. I. C., Pentecostes et Omnium Sanctorum, si saltem tertiam partem Rosarii recitant (*Ibidem*, n. 16).

16. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in festis Nativitatis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., si integrum Rosarium ex instituto confraternitatis per hebdomadam recitant (*Ibidem*, n. 17).

17. — Indulgentia centum dierum in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. (*Ibidem*, n. 18).

III. — **Pro Coronam Rosarii deferentibus:**

Indulgentia centum annorum et totidem quadragenarum, semel in die, omnibus Confratribus qui ob Beatae Virginis reverentiam Coronam devote gestaverint (1) - (*Rescriptum Pii X*, die 31 Iul. 1906; Cfr. *Analecta O. P.*, anno XIV, Fasc. IV, pag. 592).

IV. — **Pro iis qui comitantur Processionem Sacratissimi Rosarii** (2):

1. — Indulgentia Plenaria, si confessi et communicati Processioni prima mensis dominica intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant et insuper Cappellam SS. Rosarii visitant (*Novus Index etc.*, P. I, n. 19).

(1) Contendunt quidam ut ad lucrandam praedictam Indulgentiam oporteat *patenter* gestare Coronam Rosarii; sed in Bulla *Splendor paternae gloriae*, data ab Innocentio VIII die 26 Febr. 1491, ad quam refertur Rescriptum Pii X, dicitur simpliciter: « *coronam deferentibus* »; hinc ad indulgentiam acquirendam sufficit ut quis secum habeat Coronam, utcumque eam deferat.

(2) Cfr. supra, cap. III, § 9.

NOTA. — Hanc Indulgentiam confratribus concessam, consequi poterunt confratres itinerantes, navigantes aut alicui inservientes (quos inter milites actu servientes adnumerantur) integra Rosarii recitatione; infirmi vero vel legitime impediti, si tertiam partem Rosarii recitant (*Ibidem*).

2. — Indulgentia Plenaria si Processionem associant in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis et Immaculatae Conceptionis B. M. V., vel aliquo die infra octavas istorum festorum (*Ibidem*, n. 20).

3. — Indulgentia quinque annorum acquirenda quando ex eleemosynis confraternitatis virgines matrimonio iungendae dotantur (1), si confratres Processioni intersunt (*Ibidem*, n. 21).

4. — Indulgentia centum dierum si Processionem debitis diebus (2) faciendam associant (*Ibidem*, n. 22).

5. — Indulgentia sexaginta dierum, si processiones ordinarias tam confraternitatis quam alias quascumque de licentia Ordinarii celebratas, etiam SS. Sacramenti ad infirmos delati, comitantur (*Ibidem*, n. 23).

V. — **Pro iis qui Cappellam vel Ecclesiam Sodalitatis visitant:**

1. — Indulgentia Plenaria qualibet prima mensis dominica, si confessi et sacra Communione refecti visitant Cappellam vel Ecclesiam Confraternitatis,

(1) Refertur haec indulgentia ad consuetudinem quarumdam Sodalitatum dotandi ex eleemosynis confratrum aliisve legatis pauperes puellas. Quoniam die quo dotes conferebantur fiebat solemnis processio cui tenebantur interesse iuvenes dotatae, Gregorius XIII in Bulla *Desiderantes*, 22 Martii 1580, concessit ut: « tam ipsae virgines, quam earum mariti et confratres praedicti qui processioni interfuissent » quinque annos indulgentiae lucrari possent (Cfr. *supra*, cap. III, § 7).

(2) Debiti dies sunt primae dominicae cuiusque mensis, et festa B. M. V. n. 2 enumerata.

ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (1) - (*Ibidem*, n. 24).

Nota. — Hanc indulgentiam etiam confratres infirmi, qui ad eamdem ecclesiam accedere non valent, lucrari possunt si, praevia Confessione et Communione, domi ante devotam imaginem tertiam partem Rosarii, aut septem psalmos poenitentiales recitant (*Ibidem*).

2. — Indulgentia Plenaria quavis prima mensis dominica, si Sacramentis muniti, expositioni sanctissimi Eucharistiae sacramenti in ecclesia confraternitatis, quatenus de Ordinarii licentia locum habet, per aliquod temporis spatium devote intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 25).

3. — Indulgentia Plenaria, si confessi ac sancta Communione refecti Cappellam SS. Rosarii aut ecclesiam confraternitatis visitant ibique ad mentem Summi Pontificis orant:

a) in festis Domini Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, et Pentecostes, a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem ipsius Festi;

b) in festis B. M. V. Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis, ac in festo

(1) Cum haec Indulgentia deprompta sit ex Const. Gregorii XIII « *Ad augendam* » (12 Martii 1577), ibique legatur: *vobis omnibus et singulis... qui in prima Dominica cuiuslibet mensis... altare ipsius Rosarii visitaveritis*, quidam auctor inde deducit quod etiam nunc ad eiusmodi indulgentiam lucrandam non sufficiat visitare Ecclesiam Sodalitatis sed debeat visitari Cappella (Cfr. *Rosario. — Memorie Domenicane*, anno 1903, p. 517). Nos contrarium credimus, quia hodie stare debemus *Novo Indici* a S. Sede approbato *in omnibus et singulis partibus;* eo magis quod S. Sedes non solum confirmavit omnes Indulgentias in eo contentas sed *quatenus opus sit, denuo concessit* (S. C. Indulg., 29 Aug. 1899). Nunc autem, numerus 24 novi *Indicis* haec ad verbum habet: « *Indulgentia plenaria qualibet prima mensis dominica, si confessi et sacra communione refecti id faciunt* », hoc est visitant Cappellam vel Ecclesiam, ut fert titulus § IV, sub quo ista Indulgentia ponitur.

septem Dolorum (feria sexta post Dominicam Passionis) a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem ipsius Festi;

c) in festo Omnium Sanctorum, semel infra octiduum Commemorationis omnium fidelium defunctorum, in duabus feriis sextis quadragesimae ad arbitrium eligendis, dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V., dominica tertia Aprilis (1), a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem eius diei quo conceditur Indulgentia (*Ibidem*, nn. 26, 27, 28 et 29; — cfr. etiam can. 923).

Nota. — *a*) Indulgentia Plenaria, in festis B. M. V. Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis acquiri etiam potest per octavam, sed semel tantum in quovis octiduo (*Ibidem*, n. 27).

b) Indulgentia Plenaria in diebus Paschatis, Ascensionis, et Pentecostes ac in festis B. M. V. Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis, necnon in duabus feriis sextis quadragesimae acquiri potest etiam visitando quamcumque aliam ecclesiam vel publicum oratorium (*Ibidem*).

c) Quoad itinerantes, navigantes, inservientes vel infirmos aut alias legitime impeditos, pro acquisitione Indulgentiae Plenariae ecclesiam seu cappellam SS. Rosarii visitantibus concessae diebus quibus festa mysteriorum Rosarii celebrantur, idem dicendum quod superius (*Cfr.* p. 173, n. 1, *nota*) de iis qui processioni intervenire nequeunt (*Ibidem*).

4. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, si confessi sacraque Communione refecti cappellam seu altare confraternitatis visitant,

(1) Haec indulgentia pro dominica III Aprilis prius concessa est civibus Papiensibus qui, exitiali peste grassante, voverunt, se Deiparae Virgini a Rosario splendidam Cappellam esse erecturos si a morbo liberarentur. Dein a Xisto V ad omnes Sodalitates extensa est.

ibique ad intentionem Summi Pontificis orant in diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et in festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis et Assumptionis B. M. V., necnon in festo Omnium Sanctorum (*Ibidem*, n. 30).

5. — Indulgentia centum dierum pro quolibet die quo visitant cappellam seu altare SS. Rosarii, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 31).

Nota. — *a*) Moniales in clausura viventes, iuvenes utriusque sexus in collegiis, seminariis, conservatoriis degentes, omnesque demum personae viventes in institutis ex quibus ad libitum egredi non possunt imo et membra societatum catholicarum, omnes indulgentias pro quibus praescriberetur visitatio cappellae seu ecclesiae confraternitatis, — dummodo huic rite ascripti sint, — lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam seu cappellam sive oratorium (*Ibidem*).

b) Confratres infirmi quomodocumque impediti quominus sacramentum Eucharistiae recipiant, aut ecclesiam vel cappellam visitent, indulgentias omnes pro quibus istae conditiones praescribuntur lucrari possunt, si confessi aliisque iniunctis operibus adimpletis, aliquod pium opus a confessario iniunctum exequuntur (*Ibidem*).

c) Cum in quibusdam festis pro visitatione ecclesiae seu cappellae SS. Rosarii praeter plenariam indulgentiam, aliqua etiam indulgentia partialis concessa fuerit, ad hanc quoque acquirendam distincta ecclesiae seu cappellae visitatio necessaria est (*Ibidem*).

VI. — **Pro iis qui visitant quinque altaria, seu indulgentiae Stationum:**

Confratres qui diebus Stationum visitant quinque altaria cuiuscumque ecclesiae vel oratorii publici, vel quinquies unum duove altaria ubi quinque non reperiuntur, lucrantur easdem indulgentias ac si Romae *Stationes* visitarent (*Ibidem*, n. 32).

Indulgentiae *Stationum* sunt speciales indulgentiae concessae Christifidelibus qui statutis diebus visitant quasdam ecclesias Urbis. Variant pro diversitate dierum: modo enim sunt plenariae, modo partiales decem, quindecim, vigintiquinque, triginta annorum et totidem quadragenarum. En earum elenchus:

a) Indulgentia Plenaria diebus Paschatis, Ascensionis, Nativitatis Domini, Feria quinta maioris hebdomadae.

b) Indulgentia triginta annorum et totidem quadragenarum in festis Circumcisionis et Epiphaniae; in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae; Feria sexta in Parasceve; per totam octavam Resurrectionis usque ad Dominicam in Albis inclusive quotidie; singulis diebus Rogationum; Dominica Pentecostes et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusive; in festo S. Marci, 27 aprilis; S. Stephani, 26 decembris; S. Ioannis Apostoli, 27 decembris; SS. Innocentium, 28 decembris.

c) Indulgentia viginti quinque annorum et totidem quadragenarum in Dominica Palmarum.

d) Indulgentia quindecim annorum et totidem quadragenarum: feria IV Cinerum, IV Dominica Quadragesimae, III Dominica Adventus, Vigilia Nativitatis Domini, et ipso die Nativitatis ad primam et secundam Missam.

e) Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum: singulis Quadragesimae diebus supra non enumeratis; vigilia Pentecostes; feriis *Quattuor Temporum* septembris; prima, secunda et quarta Dominica Adventus; feriis *Quattuor Temporum* decembris (*S. Congr. Indulg.*, 9 Iulii 1777).

VII. — **Pro iis qui peragunt Quindecim Sabbata** (1):

1. — Indulgentia Plenaria in tribus ex quindecim sabbatis, uniuscuiusque arbitrio eligendis, si per quindecim sabbata consecutiva — vel immediate

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 3.

praecedentia festum SS. Rosarii, vel etiam quolibet infra annum tempore — confessi et sacra Communione refecti ecclesiam confraternitatis visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 36).

2. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in duodecim sabbatis numero praecedenti non comprehensis (*Ibidem*, n. 37).

VIII. — **Pro mense Octobri** (1):

1. — Indulgentia Plenaria, si exercitio mensis octobris, in ecclesiis Ordinis Praedicatorum institui solito, saltem decies interfuerunt, die ab ipsis eligendo, si Sacramenta recipiunt et ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibidem*, n. 38).

2. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quoties devotionibus in ecclesiis Ordinis Praedicatorum mense octobris quotidie institui solitis intersunt (*Ibidem*, n. 39).

IX. — **Pro Missa votiva Sacratissimi Rosarii** (2):

1. — Indulgentiae omnes integrum Rosarium recitantibus concessae, pro confratribus sacerdotibus, si Missam votivam secundum Missale Romanum pro diversitate temporis ad altare SS. Rosarii celebrant — quae Missae votivae bis in hebdomada dici possunt —; pro aliis autem confratribus, si tali Missae assistunt et ibi pias ad Deum fundunt preces (3) (*Ibidem*, n. 33).

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 4.

(2) Cfr. supra, cap. IV, § 5.

(3) Quamquam in hoc paragrapho sermo unice habetur de indulgentiis quas lucrantur Sacerdotes Rosario ascripti qui celebrant ad altare Confraternitatis Missam votivam de Beata Virgine inserta Missali Romano *pro diversitate temporis*, nihilominus etiam Sacerdotes ex Ordine Praedi-

2. — Indulgentiae omnes concessae iis qui processionem prima uniuscuiusque mensis dominica fieri solitam associant, pro iis qui consuetudinem habent celebrandi vel audiendi hanc Missam, semel in mense, die quo confessi sacramentum Communionis recipiunt (*Ibidem*, n. 34).

3. — Indulgentia unius anni pro iis qui in sabbatis Quadragesimae assistunt coniunctim Missae, concioni de Beata Maria Virgine et antiphonae *Salve Regina* (*Ibidem*, n. 35).

X. — **Pro iis qui assistunt antiphonae « Salve Regina » cantatae:**

1. — Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, si in ecclesia confraternitatis cum candela accensa ubi usus viget — alibi adiungatur una *Ave Maria* — assistunt antiphonae *Salve Regina*, cantari solitae in festis B. M. V. quae ab universa Ecclesia celebrantur, in Apostolorum natalitiis ac festis Sanctorum Ordinis Praedicatorum (1) - (*Ibidem*, n. 40).

2. — Indulgentia centum dierum, omnibus diebus per totum annum, si huic antiphonae post Completorium assistunt (*Ibidem*, n. 41).

catorum, celebrando pro Missa votiva suam antiquam *Missam privilegiatam* quae incipit *Salve radix*, lucrantur certo easdem indulgentias. Non alia profecto esse potest intentio Summi Pontificis in dictis Indulgentiis confirmandis, ut manifeste colligitur ex § XV celebris Constitutionis *Ubi primum* (Cfr. supra *cap.* IV, § 5).

(1) Sancti ex Ordine Praedicatorum sunt: S. Raymundus de Peñafort (23 ianuarii); S. Catharina de Ricci (13 februarii); S. Thomas Aquinas (7 martii); S. Vincentius Ferrerius (5 aprilis); S. Agnes de Monte Politiano (20 aprilis); S. Petrus Martyr (29 aprilis); S. Catharina Senensis (30 aprilis); S. Pius V (5 maii); S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus (10 maii); S. Joannes Martyr Gorcomiensis (9 iulii); S. Dominicus (4 augusti); S. Hyacinthus (17 augusti); S. Rosa Limana (30 augusti); S. Ludovicus Bertrandus (10 octobris); Omnes Sancti Ordinis (12 novembris).

3. — Indulgentia quadraginta dierum in omnibus sabbatis ac diebus festivis per annum (*Ibidem*, n. 42).

Nota. — Indulgentias nn. 1 et 2 recensitas, legitime impediti quominus in ecclesia huic antiphonae adstent, lucrari possunt si eamdem flexis genibus coram altari vel imagine B. M. V. recitant (*Ibidem*).

XI. — **Pro iis qui orationem mentalem aut alia spiritualia exercitia peragunt:**

1. — Indulgentia Plenaria semel in mense, si per integrum mensem quotidie per mediam horam vel saltem per quartam horae partem mentali orationi operam dant, die ad eorum arbitrium eligendo, quo sacramenta Poenitentiae, et Eucharistiae recipiunt (*Ibidem*, n. 43).

2. — Indulgentia Plenaria si in memoriam quadraginta dierum quibus Dominus Iesus stetit in deserto, per eumdem numerum dierum in oratione, mortificatione, et in aliis piis operibus sese exercuerint, semel in anno, die ab ipsis eligendo (*Ibidem*, n. 44).

3. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quoties per mediam horam orationi mentali operam dant (*Ibidem*, n. 45).

4. — Indulgentia centum dierum quoties per quartam horae partem meditationi vacant (*Ibidem*, n. 66).

XII. — **Pro iis qui confratres infirmos visitant:**

1. — Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, quoties infirmos confratres visitant (*Ibidem*, n. 47).

2. — Indulgentia centum dierum si confratres infirmos ad ecclesiastica sacramenta suscipienda hortantur (*Ibidem*, n. 48).

XIII. — **Pro iis qui quodcumque caritatis vel pietatis opus peragunt:**

Indulgentia sexaginta dierum quoties confratres aliquod opus caritatis et pietatis exercent (*Ibidem*, n. 53).

XIV. — **Pro confratribus morientibus:**

1. — Indulgentia Plenaria a sacerdote etiam extra confessionem per *formulam communem* (1) applicanda, si Rosarium per hebdomadam recitare consueverunt (*Ibidem*, n. 54).

2. — Indulgentia Plenaria si ex hac vita migrant suam tenentes candelam benedictam SS. Rosarii, dummodo semel saltem in vita integrum Rosarium recitaverint (*Ibidem*, n. 55).

3. — Indulgentia Plenaria si sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae recipiunt (*Ibidem*, n. 56).

4. — Indulgentia Plenaria si contriti SS. Nomen Iesu saltem corde, si ore non possunt, invocant (*Ibidem*, n. 57).

5. — Indulgentia Plenaria si susceptis Ecclesiae Sacramentis, fidem Romanae Ecclesiae profitentes et antiphonam *Salve Regina* recitantes, B. Virgini se commendant (*Ibidem*, n. 58).

Nota. — Quamvis heic relata sit pluries indulgentia plenaria *in mortis articulo*, tamen ad tramitem Decretorum S. C. Indulgentiarum una tantum acquiri poterit in mortis articulo sub una vel altera ex diversis conditionibus supra expositis (2) - (*Ibidem*).

(1) Prius indulgentia haec *speciali formula* applicabatur confratribus Rosarii; sed nunc adhiberi debet formula praescripta a Benedicto XIV in Constitutione *Pia Mater*, prout iussit Leo XIII (Cfr. Rescriptum *S. Congr. Indulg.*, 10 Aug. 1899).

(2) Varii modi lucrandi Indulgentiam *in articulo mortis* inserviunt confratribus ad eamdem tutius acquirendam, quia si uno modo eam non con-

XV. — **Pro iis qui animabus confratrum defunctorum suffragantur:**

1. — Indulgentia Plenaria, si in quattuor anniversariis diebus — 4 Febr., 12 Iul., 5 Sept. et 10 Nov. — quotannis in ecclesiis publicis tum Fratrum tum Sororum Ordinis Praedicatorum institui solitis, officiis defunctorum intersunt, ac confessi sacraque Communione refecti ad intentionem Summi Pontificis orant, semel quolibet ex illis quattuor diebus (*Ibidem*, n. 49).

2. — Indulgentia octo annorum, si exequiis adstiterint, sequentes processionem quae in suffragium defunctorum quolibet die sabbati aut semel in mense per ecclesiam confraternitatis sive per claustrum ducitur (*Ibidem*, n. 50).

3. — Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum, quoties corpora confratrum defunctorum ad ecclesiam confraternitatis associant (*Ibidem*, n. 51).

4. — Indulgentia centum dierum si cadavera confratrum cum vexillo confraternitatis ad sepulturam associant, vel si anniversariis pro animabus defunctorum confratrum celebratis intersunt, et ibidem ad intentionem Summi Pontificis orant (*Ibid.*, 51).

sequuntur deficiente aliqua conditione requisita, e. g. Communione, possunt consequi alio modo in quo talis conditio non requiratur. Attamen S. Congregatio Indulgentiarum expresse declaravit (12 Martii 1855) in eodem periculo mortis non posse pluries recipi benedictionem *in articulo mortis*, etiamsi haec diversis titulis infirmo competat, uti aggregatione ad Sodalitatem Rosarii, Carmeli, SS. Trinitatis, etc., et a diversis sacerdotibus impertiatur. Pariter non potest iterari etiamsi infirmus in peccato mortali eam receperit, aut post acceptam se gravi culpa commaculaverit. Nam, *cum talis indulgentia eo momento acquiratur quo anima separatur a corpore* id est *hora mortis*, etiam in hoc postremo casu nil aliud requireretur quam ut infirmus poeniteret et peccatum suum confiteretur; et benedictio consequeretur suum effectum ac si in statu gratiae recepta fuisset in eoque perseveratum esset.

XVI. — **De Altari privilegiato** (1):

1. — In ecclesiis Ordinis Praedicatorum altare SS. Rosarii pro sacerdotibus eiusdem Ordinis privilegiatum est pro anima cuiusque confratris (*Ibidem*, n. 59).

2. — In ecclesiis confraternitatis altare SS. Rosarii *pro sacerdotibus confratribus* gaudet privilegio, non solum in favorem confratrum defunctorum sed etiam cuiuscumque defuncti, etiamsi aliud altare privilegiatum in eadem ecclesia existat. Imo, si in ecclesia non exstat aliud altare privilegiatum, altare SS. Rosarii pro quocumque Sacerdote, quamvis confraternitati non ascripto et in favorem cuiuscumque defuncti privilegiatum est (*Ibidem*, n. 60).

Nota. — Etiam omnes Indulgentiae in hac Secunda Parte contentae sunt applicabiles animabus defunctorum, exceptis indulgentiis in articulo mortis lucrandis (*Ibidem*, n. 65; cfr. etiam can. 930).

Pars Tertia.

Indulgentiae propriae Associationis a Rosario Perpetuo (2).

I. — **Pro singulis Sodalibus:**

Indulgentia Plenaria omnibus ascriptis, si respectiva hora sibi assignata (3) semel saltem in mense SS. Rosarium recitaverint, eaque die qua hanc operam devote navaverint, vere poenitentes et confessi, sacraque Communione refecti, aliquam ecclesiam visitaverint, ibique iuxta intentiones Summi

(1) Cfr. supra, cap. III, § 8.
(2) Cfr. supra, cap. IV, § 1, pag. 86-96.
(3) Cfr. supra, cap. IV, § 1, pag. 92.

Pontificis oraverint (*Pius IX*, *Breve* « Postquam Deo monente », 12 apr. 1867).

II. — **Pro solis Praefectis Associationis** (1):

1. — Indulgentia Plenaria omnibus in pia Associatione sive *Praefectis divisionis*, sive *Praefectis sectionis*, ut aiunt, die quo primum munus exercent, si vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti aliquam ecclesiam publicam visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haereseon exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint (*Ibidem*).

2. — Indulgentia tercentorum dierum omnibus Praefectis ut supra, quoties aliquem sodalem praedictae piae associationi adscribi fecerint, vel conventibus ad confratrum et consororum pietatem et devotionem in frequenti Rosarii recitatione excitandam adfuerint, aut aliud quodcumque opus iuxta Societatis institutum rite in Domino praestiterint, dummodo antequam memorata opera inchoënt, saltem corde contrito, hymnum qui incipit: *Veni Creator Spiritus* et ter *Salutationem Angelicam* devote recitaverint (*Ibidem*).

Nota. — *a*) Cum *Rosarium Perpetuum mensile* praesupponat ascriptionem Sodalitati a Rosario, sequitur omnia membra Associationis Rosarii Perpetui participes esse omnium Indulgentiarum quae Ascriptis Confraternitati conceduntur (2).

b) Omnes Indulgentiae in hac Tertia Parte recensitae

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 1, p. 98.

(2) Cum per approbationem *horae mensilis* Rosarii Perpetui *hora annua* abrogata non fuerit, viget adhuc *Indulgentia plenaria* lucranda semel in anno ab omnibus Christifidelibus etiam non sodalibus confraternitatis SS. Rosarii qui hora sibi assignata Rosarium B. M. V. recitaverint, atque vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti, iuxta mentem Summi Pontificis oraverint (Pius VII, « *Ad augendam* », 16 Febr. 1808).

etiam defunctis applicari possunt (*Pius IX*, *Breve* « Postquam Deo monente », 12 Apr. 1867; — cfr. quoque can. 930).

Pars Quarta.

Indulgentiae propriae Associationis a Rosario Viventi (1).

I. — Pro singulis membris:

1. — Indulgentia Plenaria, lucranda primo festo die post suam admissionem in Associationem, dummodo in hoc die vere poenitentes et confessi sacram Eucharistiam suscipiant (*Gregorius XVI*, « Benedicentes », 27 ian. 1832).

2. — Indulgentia centum dierum in ferialibus diebus; et septem annorum et totidem quadragenarum in diebus Dominicis et aliis per annum festis diebus, iis etiam quibus praeceptum audiendi Sacrum ademptum est; necnon per Octavas Nativitatis Domini, Paschatis, Corporis Christi, Pentecostes; Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Immaculatae B. M. Virginis, pro quotidiana Rosarii decadis recitatione (*Ibidem*).

3. — Indulgentia Plenaria, in festivitatibus Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Domini, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis; item pro singulis festis, etiam minoribus B. M. Virginis; item in festis SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum, necnon tertia Dominica cuiuslibet mensis, dummodo quotidie decadem suam sedulo sancteque recitaverint saltem per unum mensem, nisi quis fuerit legitima causa praepeditus, et contriti, confessi, sacram Eu-

(1) Cfr. supra, cap. IV, § 2.

charistiam susceperint, atque visitando aliquam ecclesiam pias preces effuderint. Si iusta causa visitationem ecclesiae impediat, Confessarius aliud opus subrogare potest (*Ibidem*).

4. — Omnes Indulgentiae omnibus fidelibus Rosarium recitantibus ab Apostolica Sede concessae usque ad annum 1832 (1) - (*Ibidem*).

II. — **Pro solis Zelatoribus et Praesidentibus** (2):

1. — Indulgentia centum dierum quoties zelatores vel zelatrices, electi et approbati a legitimo Directore, aliquod sui muneris punctum impleverint (*Gregorius XVI*, 7 iun. 1839; — cfr. *Acta pro Societate SS. Rosarii*, vol. I, cap. XII, pag. 111).

2. — Indulgentia tercentorum dierum, quoties Praesidentes (viri vel mulieres), electi et approbati a legitimo Directore ut sub eius auctoritate pluribus praesint Zelatoribus, aliquod sui muneris punctum impleverint, dummodo tamen undecim saltem zelatores moderentur (*Ibidem*, n. 2) - (3).

Nota. — Hae quoque indulgentiae omnes applicabiles sunt animabus in Purgatorio detentis (can. 930).

(1) Eae sunt quas supra enumeravimus, *Parte Prima*, § I, nn. 1, 2, 4; § III, nn. 1, 2, § V, n. 1; § VI, n. 1.

(2) Cfr. supra, cap. IV, § 2, pp. 106 et 109.

(3) Si inter milites *Rosarium vivens* instituatur, specialibus indulgentiis, praeter recensitas, ii frui possunt, videlicet:

a) *Indulgentia quotidiana* 300 *dierum* iis qui nomen dant « Associationi Rosarii Viventis inter milites » dummodo satisfecerint obligationibus ipsius Associationis;

b) *Indulgentia plenaria in articulo mortis*, singulis adscriptis praefatae Associationi, qui abitualiter fideles in adimplendis obligationibus eiusdem Associationis inventi fuerint (Cfr. *Analecta O. P.*, an. 1917, p. 168).

CAPUT VI.

Formulare Benedictionum.

I. — Formula et Orationes ad erigendam Confraternitatem (1):

Sacerdos ad id muneris delegatus ante omnia attente legat quae capite III de Sodalitate Rosarii disseruimus, ne quidquam desit suo officio legitime explendo, et ut quaestionibus quae sibi fieri possunt apte respondeat.

Cum vero tempus adfuerit erigendi Confraternitatem, populo congregato, Parochus vel Rector Ecclesiae, superpelliceo et alba stola indutus, ad maius Altare se conferet flexisque genibus incipiet hymnum: Veni, Creator Spiritus etc., *cum versiculo:* Emitte Spiritum tuum etc., *et Oratione*: Deus qui corda fidelium etc.

Dum cantatur hymnus, Sacerdos Confraternitatem erecturus pulpitum conscendat; et dicta de more Ave Maria, *palam faciet in primis finem functionis, videlicet Reverendissimum Patrem Generalem Dominicanorum cui a S. Sede reservata est erectio Sodalitatum Rosarii, instanter rogatum, dignatum esse concedere, apposito Diplomate dato die..., ut erigatur Confraternitas Rosarii in illa quoque Ecclesia; seque demum esse qui munus accepit procedendi ad illam erectionem. Dein indicabit magna bona quae inde percipi poterunt, exponet breviter pulchritudines, glorias, beneficia devotionis SS. Rosarii, simulque praestantiam, praerogativas, et speciales Indulgentias Confraternitatis necnon eiusdem officia, monens tamen nihil sub peccato iniungi. Postea, relicto pulpito, ibit cum Parocho vel Rectore Ecclesiae ad altare ubi Confraternitas est erigenda* (2). *Quo cum pervenerit, Sacerdos deputatus ad electionem, indutus stola alba praecinet hymnum* Ave Maris Stella. *Recitata*

(1) Cfr. supra, cap. III, § 2.
(2) Cfr. supra, cap. III, § 8.

subinde vel cantata antiphona Salve Regina, *cui adicietur etiam antiphona in honorem S. Dominici:* O lumen Ecclesiae, doctor veritatis, rosa patientiae, ebur castitatis, aquam sapientiae propinasti gratis, praedicator gratiae nos iunge beatis; *dicantur sequentes* Versus *et* Oremus.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.
℣. Ora pro nobis, Beate Pater Dominice.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus qui salutis aeternae, Beatae Mariae Virginitate foecunda humano generi praemia praestitisti, tribue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere praemimur, Beati Dominici Confessoris tui patrocinio sublevemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ascendat deinde ad altare in cornu Evangelii, et conversus ad populum dicat alta voce:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Et recitabit sequentem formulam erectionis Confraternitatis:

Ego Frater *N. N.* Ordinis Praedicatorum (*vel* ego *N. N.* Sacerdos), nomine Reverendissimi Patris *N. N.* Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, et auctoritate ab ipso mihi delegata, instituo et erigo Confraternitatem SS. Rosarii Dei Genitricis Virginis Mariae in hac ecclesia Sancti *N.*, loci *N.*, eamque

institutam et erectam declaro cum omnibus gratiis, privilegiis et indulgentiis a Sancta Sede Confraternitatibus SS. Rosarii concessis et concedendis. In Nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti. Amen.

Post haec, notificabit Rectorem seu Praesidentem Sodalitatis, prout decernit Reverendissimus Magister Generalis in Diplomate, fore omni tempore sacerdotem N. N. *eiusque in eodem munere successores; qui gaudebunt facultate recipiendi et ascribendi in Confraternitate, benedicendi Coronas et Candelas Rosarii, omnia denique peragendi quae titulus Rectoris importat in Sodalitate SS. Rosarii. Declarabit etiam quaenam erit posthac Cappella seu Altare Confraternitatis; quod non parum interest ad acquisitionem Indulgentiarum. Postremo monebit populum, ut illi qui cupiunt in Sodalitatem cooptari, faciant intentionem in eamdem ingrediendi quia iam ab eo recipiuntur; dummodo, absoluta functione, se in albo Confraternitatis inscribere faciant alias eorum receptio omni prorsus effectu careret; quotquot autem illo die Sodalitati nomen dederint sciant se, poenitentes et sacra communione refectos, Plenariam Indulgentiam esse lucraturos. Dein recitabit* Formulam ad fideles in Confraternitatem solemniter recipiendos (1).

Subiunget insuper ut qui coronas benedicèndas habent, eas manu teneant quia ab eo benedicentur; ad quod recitabit Formulam longiorem ad benedicendas Coronas (2).

Postea omnes iterum adhortabitur ut SS. Rosarium magna devotione prosequantur, eiusque Mysteria pro viribus meditentur, memores sine meditatione non acquiri Indulgentias Rosarii saltem ab iis qui meditationis sunt capaces (3). *Denique eos ad gratias Domino et Virgini Deiparae pro accepto beneficio ex corde referendas excitabit, nec omittet Praedicatorum Ordinem cum suo Magistro et se ipsum etiam omnium orationibus commendare.*

Ad idem Altare Rosarii vel ad Altare maius cantabitur deinde hymnus Te Deum *et* Litaniae B. Virginis *cum sequentibus versiculis et Orationibus:*

(1) Cfr. infra, pag. seq.
(2) Cfr. infra, p. 192.
(3) Cfr. melius supra, c. I, § 2, n. 6.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Deus cuius misericordiae non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Maiestati tuae pro collatis nobis donis gratias agimus tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas.

Deus, cuius Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis aeternae praemia comparavit, concede, quaesumus, ut haec Mysteria sanctissimo Rosario Beatae Mariae Virginis recolentes: et imitemur quod continent, et quod promittunt assequamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Terminabitur functio per Tantum ergo *et Benedictionem cum SS. Sacramento.*

Cum omnia perfecta fuerint, Sacerdos qui erectionem peregit ne obliviscatur conficere processum verbalem fundationis, adhibitis in eam rem modulis quos ipse Dominicanorum Generalis Magister miserit cum Diplomate, cuius quidem processus unum exemplar ad eumdem Magistrum Generalem remittendum curabit (1).

II. — Formula ad fideles in Confraternitatem solemniter recipiendos:

Qui recipiendi sunt solemniter, habeant Rosarium, et cereum, et versus altare Sanctissimi Rosarii accedentes,

1) Cfr. supra, cap. III, § 2.

genua flectant. Sacerdos vero indutus stola albi coloris, verso vultu ad recipiendos, dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui per mortem Unigeniti tui mundum collapsum restaurare dignatus es, ut nos a morte aeterna liberares, et ad gaudia regni caelestis perduceres; respice, quaesumus, super hos famulos tuos, qui inter filios et confratres Societatis Beatissimae Virginis Sacratissimi Rosarii connumerari desiderant, et per merita eiusdem Genitricis Dei, effunde super illos bene † dictionem tuam, quatenus benedicti sic in hoc saeculo vivant, ut inter oves dexterae tuae in perpetuum collocari mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Si cerei, vel rosaria non fuerint adhuc benedicta, tunc benedicantur, ut pagg. 192 *et* 194. *Deinde subiungit sacerdos:*

Auctoritate, qua fungor, et mihi a Reverendissimo Patre Magistro Generali Ordinis Praedicatorum tradita, ego admitto vos ad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, et recipio ad participationem Indulgentiarum eius, quae per Sanctam Sedem Apostolicam concessae fuerunt: item participes vos facio omnium bonorum spiritualium totius Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, et operum, quae passim, cooperante Dei gratia, a Fratribus et Sororibus Societatis Sanctissimi Rosarii per univer-

sum mundum peraguntur. In nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Aspergantur recepti aqua benedicta: quo facto, Sacerdos tradat singulorum manibus Rosarium benedictum dicens:

Accipite signum Dei viventis ab ipsa Sanctissima Virgine sic nuncupatum, ut sit vobis in pignus et medium ad vitam aeternam promerendam. Amen.

Deinde singulis osculandam porrigat extremitatem stolae vel scapularis, et versus ad altare dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

Receptorum nomina scribantur postea in libro deputato.

III. — Formula ad benedicendas Coronas Rosarii (1):

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam caritatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum, Dominum nostrum, Iesum Christum de caelis in terram descendere, et de Beatissimae Virginis Mariae Dominae nostrae utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, crucemque ac mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut

(1) In hac benedictione impertienda deferat sacerdos stolam albi coloris. — Meminerint sacerdotes benedictiones tam *Coronarum* quam *Rosarum* et *Candelarum* Rosarii esse benedictiones *reservatas*.

haec signa Rosarii in honorem et laudem eiusdem Genitricis Filii tui ab Ecclesia tua fideli dicata bene † dicas et sancti † fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritus Sancti, ut quicumque horum quodlibet secum portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et in eis ad te, secundum eiusdem sanctae Societatis instituta, divina contemplando Mysteria devote oraverit, salubri et perseveranti devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum, et Indulgentiarum, quae eidem Societati per sanctam Sedem Apostolicam concessa fuerunt, ab omni hoste visibili et invisibili semper et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus praesentari mereatur. Per eundem... in unitate eiusdem.

℟. Amen.

Aspergantur aqua benèdicta.

Formula brevior (ex Rescripto S. C. Rit. diei 23 Nov. 1918).

Ad laudem et gloriam Deiparae Virginis Mariae, in memoriam mysteriorum vitae, mortis et resurrectionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, bene † dicatur (1) et sancti † ficetur haec sacratissimi Rosarii corona: in nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Stola et aqua benedicta adhiberi possunt ad libitum.

IV. — **Formula ad benedicendas Rosas:**

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.

(1) Si sint plures coronae dicatur in plurali.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, creator et conservator generis humani, dator gratiae spiritualis et largitor aeternae salutis, benedictione tua sancta bene † dic has rosas, quas pro gratiis tibi exsolvendis, cum devotione ac veneratione beatae semperque Virginis Mariae Rosarii hodie tibi praesentamus, et petimus benedici, et infundi in eis per virtutem sanctae Cru † cis benedictionem caelestem: ut quas ad odoris suavitatem, et repellendas infirmitates humano usui tribuisti, talem signaculo sanctae Cru † cis benedictionem accipiant, ut quibuscumque in infirmitatibus appositae fuerint, seu qui eas in domibus suis portaverint ab infirmitate sanentur, discedant diaboli, contremiscant et fugiant pavidi cum suis ministris de habitationibus illis, nec amplius tibi servientes inquietare praesumant. Per Christum etc.

Aspergantur aqua benedicta.

V. — **Formula ad benedicendas Candelas Rosarii:**

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Domine Iesu Christe, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, effunde per intercessionem beatae Virginis Mariae matris tuae, et per quindecim eius Rosarii mysteria bene † dictionem tuam super hos cereos et candelas, et sanctifica eas lumine tuae gratiae, et

concede propitius, ut sicut haec luminaria igne visibili accensa nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra, invisibili igne, ac Spiritus † Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum caecitate careant, ut puro mentis oculo cernere semper possimus, quae tibi placita sunt, et nostrae saluti utilia: quatenus post huius saeculi caliginosa discrimina, ad lucem indeficientem pervenire mereamur. Qui vivis et regnas, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

VI. — **Formula pro Benedictione in articulo mortis** (1):

Sacerdos ingrediens cubiculum, ubi iacet infirmus, indutus stola violacea, dicat:

℣. Pax huic domui.

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aegrotum, cubiculum et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Postea, audita confessione sacramentali aegroti, si hic voluerit confiteri, vel pia aliqua pro opportunitate praemissa admonitione, dicit:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit caelum et terram.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae), neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

(1) Haec benedictio non est amplius reservata et dari potest a quocumque sacerdote, etiam extra Confessionem (can. 468, § 2).

℣. Et ne nos, etc.

℟. Sed libera nos, etc.

℣. Salvum (*vel* salvam) fac servum tuum (*vel* ancillam tuam).

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum (*vel* ancillam tuam) *N.* quem (*vel* quam) tibi vera fides, et spes christiana commendant. Visita eum (*vel* eam) in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge: ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniat, et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum etc. Amen.

Tum dicto ab uno ex astantibus Confiteor, *Sacerdos dicat:* Misereatur; *deinde:*

Dominus noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris †, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, Paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus Pater †, et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim sacerdos Benedictionem ei impertiatur dicendo:

Dominus noster Iesus Christus, etc.; *vel tantummodo, si iam mors immineat:* Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo, in nomine Patris †, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE LEGIBUS, IURIBUS AC PRIVILEGIIS SODALITATIS A SS. ROSARIO

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ubi primum, arcano divinae Providentiae consilio, ad supremam Petri Cathedram fuimus evecti, oblato conspectu ingruentium in dies malorum, Apostolici muneris esse duximus expediendae salutis agitare consilia ac studere, quibus maxime modis Ecclesiae tutelae et catholicae fidei incolumitati prospici posset.

Inter haec ad magnam Dei Matrem eamdemque reparandi humani generis consortem ultro animus convolavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis hominibus praecipuum semper ac solemne fuit. Cuius fidei quam tuto sese crediderint, praeclara testantur ab ipsa collata beneficia, inter quae plura constat fuisse impetrata per probatissimam illam precandi formulam titulo Rosarii ab eadem invectam et Dominici Patris ministerio promulgatam.

Solemnes autem honores eo ritu Virgini habendos Summi Pontifices Decessores Nostri haud semel decrevere. Quorum Nos etiam aemulati studia, de Rosarii Marialis dignitate ac virtute satis egimus copiose, Encyclicis Litteris pluries datis, vel inde a Kalendis Septembribus

anni MDCCCLXXXIII (1), cohortantes fideles, ut, sive publice sive suis in domibus, saluberrimum hoc pietatis officium augustissimae Matri persolverent et Marianis ab eo titulo Sodalitatibus sese aggregarent. Ea vero omnia nuperrime, datis litteris die V Septembris huius anni,

(1) Acta S. Pontificis Leonis XIII, S. Rosarium respicientia, sunt quae sequuntur:

I. Encyclica *Supremi Apostolatus* (1 Sept. 1883). — Quam sit efficax recitatio S. Rosarii. Mensis October in orbe catholico universo Deiparae Virgini a Rosario solemniter dedicatur.

II. Decretum *Urbis et Orbis* S. Rituum Congregationis (10 Dec. 1883). — De invocatione *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis,* Litaniis Lauretanis addenda.

III. Breve Apostolicum *Salutaris ille spiritus precum* (24 Dec. 1883). — Commendatur quotidiana Rosarii recitatio et confirmatur solemniter insertio, Litaniis Lauretanis facienda, invocationis: *Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis.*

IV. Decretum generale S. Rituum Congregationis (19 Iun. 1884). — Vetatur translatio Officii de festo SS. Rosarii in alium diem, nisi occurrat Officium praestantioris ritus.

V. Encyclica *Superiori anno* (30 Aug. 1884). — De recitatione S. Rosarii in mense Octobri; pio huic exercitio speciales conceduntur Indulgentiae.

VI. Decretum *Urbis et Orbis* S. Rituum Congregationis (20 Aug. 1885). — Praescribitur recitatio Rosarii per mensem Octobrem cuiuslibet anni in omnibus ecclesiis paroecialibus.

VII. Encyclica *Quod auctoritate Apostolica* (22 Dec. 1885). — Indicitur extraordinarium Iubilaeum per totum annum 1886, sub Patrocinio Beatissimae Virginis a Rosario.

VIII. Decretum *Urbis et Orbis* S. Rituum Congregationis (11 Sept. 1887). — Solemnitas SS. Rosarii elevatur ad ritum *duplicis secundae classis.*

IX. Epistola *Vi è ben noto* ad Episcopos Italiae (20 Sept. 1887). — De mense Octobri, sacro Deiparae Virgini a Rosario.

X. Decretum *Urbis et Orbis* S. Rituum Congregationis (5 Aug. 1888). — Approbantur et praecipiuntur pro tota Ecclesia Officium et Missa propria SS. Rosarii.

XI. Encyclica *Quamquam pluries* (15 Aug. 1889). — Deposcitur Patrocinium S. Ioseph et Beatae Virginis in mense Octobri Rosario sacro.

XII. Encyclica *Octobri mense* (22 Sept. 1891). — De Rosario Mariali. Conqueritur mala quibus affligitur Ecclesia, suggerit remedium orationis, praesertim SS. Rosarii, inculcat spiritum mortificationis christianae.

XIII. Encyclica *Magnae Dei Matris* (8 Sept. 1892). — Devotum exercitium SS. Rosarii est idoneum medium fidei conservandae et praeclarum exemplum perfectae virtutis.

XIV. — Encyclica *Laetitiae sanctae* (8 Sept. 1893). — De Rosario Mariali. Tribus malis societatis: taedio vitae modestae et operosae, horrori doloris, et oblivioni vitae futurae efficaciter opponuntur Mysteria SS. Rosarii.

XV. Encyclica *Iucundo semper* (8 Sept. 1894). — Rosarii Marialis pulchritudo et efficacia. Damnantur fabula romanensis Aemilii Zola contra Vir-

veluti in unum collecta, paucis memoravimus; simulque consilium Nostrum patefecimus edendae Constitutionis de iuribus, privilegiis, indulgentiis, quibus gaudent qui piae isti Sodalitati dederint nomina. Nunc vero ut rem absolvamus, votis obsecundantes Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, Constitutionem ipsam edimus, qua leges de huiusmodi sodalitate latas, itemque beneficia recensentes a Summis Pontificibus eidem concessa, modum decernimus quo in perpetuum salutifera haec institutio regatur.

I.

Sacratissimi Rosarii Sodalitas in eum finem est instituta, ut multos fraterna caritate coniunctos per piissimam illam precandi formulam, unde ipsa consociatio nomen mutuatur, ad Beatae Virginis laudationem et eiusdem patrocinium unanimi oratione impetrandum alliciat. Quapropter, nullo quaesito lucro aut imperata pecunia, cuiusvis conditionis excipit homines, eosque per solam Rosarii Marialis recitationem mutuo devincit.

Quo fit, ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes, multa inde recipiant. Actu igitur vel habitu

ginem Immaculatam de Lourdes et actio dramatica Ioannis Bovio contra divinum Redemptorem: reparationes indicuntur.

XVI. Encyclica *Adiutrice populi Christiani* (5 Sept. 1895). — Recitatio Rosarii pro obtinendo reditu Ecclesiarum dissidentium ad Catholicismum. Commendatur aedificatio templi Deiparae Virgini a Rosario, Patrarum in Achaia.

XVII. Encyclica *Fidentem piumque animum* (20 Sept. 1896). — Praestantia et pulchritudo popularis devotionis SS. Rosarii; eiusdem frequentatio inculcatur commemoratis beneficiis quibus a Summis Pontificibus aucta fuit.

XVIII. Encyclica *Augustissimae Virginis Mariae* (12 Sept. 1897). — Laudantur Sodalitates a Rosario et excitantur fideles ad suum nomen iisdem dandum.

XIX. Encyclica *Diuturni temporis* (5 Sept. 1898). — De excellentia Rosarii Marialis eiusque cultus incremento. Praenuntiatur Apostolica Constitutio de Sodalitatibus a SS. Rosario.

XX. Constitutio Apostolica *Ubi primum* (10 Oct. 1898). — De legibus, iuribus, ac privilegiis Sodalitatis a SS. Rosario.

XXI. Novus Index Indulgentiarum SS. Rosarii (29 Aug. 1899).

XXII. Litterae ad P. Constantium M. Becchi O. P., (28 Mart. 1901). — Laudatur *Associatio Rosarii Perpetui* in Italia eiusque propagatio inculcatur.

dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes eiusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt.

II.

Sodalium Dominicanorum Ordo, qui, vel inde ab sui initio beatae Virginis cultui maxime addictus, instituendae ac provehendae Sodalitatis a Sacratissimo Rosario auctor fuit, omnia quae ad hoc genus religionis pertinent, veluti haereditario iure sibi vindicat.

Uni igitur Magistro Generali ius esto instituendi Sodalitates Sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subeat Vicarius eius generalis; mortuo vel amoto, Vicarius Generalis Ordinis.

Quamobrem quaevis Sodalitas in posterum instituenda, nullis gaudeat beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem auxerunt, nisi diploma institutionis a Magistro Generali vel a memoratis Vicariis obtineat.

III.

Quae anteacto tempore Sodalitates sacratissimi Rosarii ad hanc usque diem sine Magistri Generalis patentibus litteris institutae sunt, litteras huiusmodi intra anni spatium expediendas curent; interim vero (dummodo hoc uno tantum defectu laborent) Sodalitates ipsas, donec eaedem litterae expediantur, tamquam ratas et legitimas, ac privilegiorum, beneficiorum et indulgentiarum omnium participes, auctoritate apostolica benigne declaramus.

IV.

Instituendae Sodalitati in designata aliqua Ecclesia Magister Generalis deputet per consuetas litteras sacerdotem sui Ordinis; ubi Conventus Sodalium Dominicanorum desint, alium sacerdotem Episcopo acceptum.

Eidem Magistro Generali ne liceat facultates, quibus pollet, in universum et absque limitatione committere Provincialibus, aliisve aut sui aut alieni Ordinis vel Instituti sacerdotibus.

Facultatem revocamus a fel. rec. Benedicto XIII Magistris Ordinis concessam (1), delegandi generatim Provinciales transmarinos. Indulgemus tamen, rei utilitate perspecta, ut earundem provinciarum prioribus, vicariis, praepositis missionalibus potestatem faciant instituendi certum Sodalitatum numerum, quarum accuratam rationem iis reddere teneantur.

V.

Sodalitas a Sacratissimo Rosario in omnibus Ecclesiis publicisque aediculis institui potest, ad quas fidelibus accessum libere pateat, exceptis monialium aliarumque piarum mulierum vitam communiter agentium ecclesiis, prout sacrae romanae Congregationes saepe declararunt.

Quum iam ab Apostolica Sede cautum sit ne in uno eodemque loco plures existant sacratissimi Rosarii Sodalitates, Nos eiusmodi legem iterum inculcamus, et ubique observari iubemus. In praesenti tamen, si quo in loco plures forte existant rite constitutae Sodalitates, facultas sit Magistro Generali Ordinis ea de re pro aequitate iudicandi. Ad magnas vero urbes quod attinet, plures, uti iam ex indulgentia provisum est (2), haberi possunt titulo Rosarii Sodalitates, ab Ordinariis pro legitima institutione Magistro Generali proponendae.

VI.

Quum nulla habeatur Sacratissimi Rosarii Sodalitas princeps, cui aliae minores aggregentur, hinc nova quaevis huiusmodi consociatio, per ipsam sui canonicam institutionem particeps fit indulgentiarum omnium ac privilegiorum, quae ab hac Apostolica Sede aliis per orbem Sodalitatibus eiusdem nominis concessa sunt.

Eadem ecclesiae adhaeret, in qua est instituta. Quamvis enim Sodalitatis privilegia homines spectent, tamen indulgentiae complures, eius sacellum vel altare adeuntibus concessae, uti etiam privilegium altaris, loco adhaererent; ideoque sine speciali Apostolico indulto neque avelli possunt, neque transferri. Quoties igitur Sodali-

(1) Const. *Pretiosus*, die 26 Maii 1727.
(2) *S. S. Indulg.*, die 20 Maii 1896.

tas quavis de causa, in aliam ecclesiam deduci contigerit, ad id novae litterae a Magistro Generali expetantur.

Si autem, destructa Ecclesia, nova ibidem aut in vicinia aedificetur eodem titulo, ad hanc, quum idem esse censeatur locus, privilegia omnia atque indulgentiae transeunt, nulla requisita novae sodalitatis institutione. — Sicubi vero, post institutam canonice in aliqua Ecclesia Sodalitatem, conventus cum Ecclesia Praedicatorum fuerit extructus, ad Ecclesiam eius conventus Sodalitas ipsa, prout de iure, transferatur. Quod si peculiari aliquo in casu, de hac lege remittendum videatur, facultas esto Magistro Generali Ordinis pro sua aequitate et prudentia opportune providendi; integro tamen sui Ordinis iure.

VII.

Ad ea, quae supra decreta sunt, quaeque naturam ipsam et constitutionem Sodalitatis attingunt, quaedam accedere poterunt, quae ad bonum societatis regimen conferre videantur. Integrum est enim sodalibus *statuta* sibi condere, sive quibus tota regatur societas, sive quibus aliqui ad peculiaria quaedam christianae pietatis officia, collata etiam pecunia, si placuerit, saccis assumptis vel secus, excitentur. Ceterum quaevis horum varietas non obest quominus indulgentiae possint acquiri a sodalibus, dummodo ea praestent, quae iis lucrandis ab Apostolica Sede praecepta sunt. Addita tamen huiusmodi statuta Episcopo dioecesano probentur, eiusque moderationi maneant obnoxia; quod Constitutione Clementis VIII « Quaecumque » sancitum est.

VIII.

Rectorum electio, qui nempe Sodalitatis membra in piam societatem recipiant, eorum rosariis benedicant, omnibus denique fungantur muneribus praecipuis, ad Magistrum Generalem, vel eius Vicarium, uti antea, spectet; de consensu tamen Ordinarii loci, pro ecclesiis clero saeculari concreditis.

Quo autem Sodalitati conservandae melius prospiciatur, Magistri Generales ei Rectorem praeficiant sacer-

dotem aliquem, in ecclesia, ubi est instituenda Sodalitas, certo munere fungentem vel certo fruentem beneficio, illiusque in hoc sive beneficio sive munere in posterum successores. Si qualibet ex causa, desint, Episcopis, uti iam est ab hac Apostolica Sede sancitum (1), facultas esto ad id muneris deputandi parochos *pro tempore*.

IX.

Quum haud raro peropportunum, quin etiam necessarium videatur, ut Sacerdos alius legitimi Rectoris loco nomina inscribat, coronis benedicat aliaque praestet, quae ad ipsius Rectoris officium pertinent, Ordinis Magister Rectori facultatem tribuat subdelegandi, non generatim quidem, sed in singulis casibus, alium idoneum sacerdotem, qui eius vices gerat, quoties iusta de causa id opportunum iudicaverit.

X.

Item, ubi Rosarii Sodalitas eiusque Rector institui nequit, Magistro Generali facultas esto designandi alios sacerdotes, qui fideles, indulgentias lucrari cupidos, Sodalitati propinquiori aggregent, et rosariis benedicant.

XI.

Formula benedicendi rosarii, seu coronae, usu sacrata, inde a remotis temporibus in Ordine Sodalium Dominicanorum praescripta, et in appendice romani Ritualis inserta, retineatur.

XII.

Etsi quovis tempore nomina possint legitime inscribi, optandum tamen ut solemnior illa receptio, quae, sive primis cuiusque mensis dominicis, sive in festis maioribus Deiparae haberi solet, apprime servetur.

XIII.

Unicum Sodalibus impositum onus, citra tamen culpam, est Rosarium unaquaque hebdomada cum quindecim mysteriorum meditatione recitandum.

(1) *S. C. Indulg.*, die 8 Ian. 1861.

Ceterum sua Rosario genuina forma servetur, ita ut coronae non aliter quam ex quinque aut decem aut quindecim granorum decadibus coalescant: item ne aliae cuiusvis formae rosarii nomine appellentur; denique ne humanae reparationis mysteriis contemplandis, usu receptis, meditationes aliae sufficiantur, contra ea quae iamdiu ab hac Apostolica Sede decreta sunt, id est, qui ab his consuetis mysteriis meditandis recesserint, eos Rosarii indulgentias nullas lucrari (1).

Sodalitatum Rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam saepissime, maxime in festis Beatae Virginis, ad altare eiusdem Sodalitatis, etiam publice Rosarium recitetur: retenta consuetudine huic Sanctae Sedi probata, ut per gyrum cuiuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur: *Gaudiosa* in secunda et quinta feria; *Dolorosa* in tertia et sexta; *Gloriosa* tandem in dominica, quarta feria et sabbato (2).

XIV.

Inter pios Sodalitatis usus merito primum obtinet locum pompa illa solemnis, qua, Deiparae honorandae causa, vicatim proceditur, prima cuiusque mensis dominica, praecipue vero prima Octobris; quem morem, a saeculis institutum, S. Pius V commendavit, Gregorius XIII inter *laudabilia instituta et consuetudines* Sodalitatis recensuit, multi denique Summi Pontifices indulgentiis locupletarunt (3).

Ne autem huiusmodi supplicatio saltem intra ecclesiam, ubi temporum iniuria extra non liceat, unquam omittatur, privilegium a Benedicto XIII Ordini Praedicatorum concessum, eam transferendi in aliam dominicam, si forte ipso die festo aliqua causa impediatur (4), ad omnes Sodalitatum sacratissimi Rosarii Rectores extendimus.

Ubi autem propter loci angustiam et populi accursum ne per ecclesiam quidem possit ea pompa commode duci,

(1) *S. C. Indulg.*, die 13 Aug. 1726.

(2) *S. C. Indulg.*, die 1 Iul. 1839 *ad 5*.

(3) S. Pius V, « *Consueverunt* », die 17 Sept. 1569; Gregorius XIII, « *Monet Apostolus* », die 1 Apr. 1573; Paulus V, « *Piorum hominum* », die 15 Apr. 1608.

(4) Const. « *Pretiosus* », die 26 Maii 1727, § 18.

indulgemus, ut, per interiorem ecclesiae ipsius ambitum, sacerdote cum clericis piae supplicationis causa circumeunte, Sodales, qui adstant, indulgentiis omnibus frui possint eidem supplicationi adnexis.

XV.

Privilegium Missae votivae Sacratissimi Rosarii Ordini Praedicatorum toties confirmatum (1), servari placet, atque ita quidem ut non solum Dominicani sacerdotes, sed etiam Tertiarii a Poenitentia, quibus Magister Generalis potestatem fecerit Missali Ordinis legitime utendi, Missam votivam « Salve Radix Sancta » celebrare possint bis in hebdomada, ad normam decretorum S. Rituum Congregationis.

Ceteris vero sacerdotibus in Sodalium album adscitis, ad altare sodalitatis tantum Missae votivae celebrandae ius esto, quae in Missali romano pro diversitate temporum legitur, iisdem diebus ac supra et cum iisdem indulgentiis. Harum indulgentiarum Sodales etiam e populo participes fiunt, si ei sacro adstiterint, culpisque rite expiatis vel ipsa confessione vel animi dolore cum confitendi proposito, pias ad Deum fuderint preces.

XVI.

Magistri Generalis cura et studio, absolutus atque accuratus, quamprimum fieri potest, conficiatur index Indulgentiarum omnium, quibus Romani Pontifices Sodalitatem Sacratissimi Rosarii, ceterosque fideles illud pie recitantes cumularunt, a Sacra Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita expendendus et Apostolica auctoritate confirmandus.

Quaecumque igitur in hac Apostolica Constitutione decreta, declarata, ac sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec ea notari, infringi et in controversiam vocari posse ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine: sed plenarios et in-

(1) *Decr. S. C. Rit.*, die 25 Iun. 1622; — Clemens X, « *Caelestium munerum* », die 16 Febr. 1671; — Innocentius XI, « *Nuper pro parte* », die 31 Iul. 1679, cap. X, nn. 6 et 7; — Pius IX, in *Summarium Indulg.*, die 18 Sept. 1862, cap. VIII, nn. 1 et 2.

tegros effectus suos habere, non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, Urbani VIII aliisque apostolicis, etiam in provincialibus ac generalibus Conciliis editis Constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus: quibus omnibus ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo octavo, sexto nonas Octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

C. Card. ALOISI-MASELLA, Pro-Dat.

A. Card. MACCHI.

INDEX ALPHABETICUS [1]

Absentes ascribi possunt Confraternitati, p. 63, n. 41; quomodo et sub quibus conditionibus, *l. c.*

Absolutio sacramentalis non necessaria ad indulgentias lucrandas, pro iis qui sunt in statu gratiae, p. 162, n. 114.

Administratio bonorum Confraternitatis, p. 82, n. 57; administratorum obligationes ex *Statutis* Confraternitatis desumendae, p. 82, n. 58.

Adscripti ad Confraternitatem qui esse possunt, p. 62, n. 41; p. 80, n. 56; a quo inscribi valent, p. 59, n. 38; quomodo, p. 61, n. 39; in forma solemni vel privata, p. 58, n. 37; gratuito, p. 63, n. 42; privilegia et beneficia adscriptorum, p. 64, n. 43 et seqq.; obligationes Confratrum, p. 67, n. 46, et seqq.; semel adscripti semper adscripti manent, etiamsi domicilium mutent, p. 62, n. 40; defuncti ascribi nequeunt, p. 62, n. 41; bene quidem morientes, *l. c.*; et etiam absentes, *l. c.*

Adscriptio Confraternitati a quo facienda, p. 59, n. 38; quomodo, p. 61, n. 39; in forma *solemni* vel *privata*, p. 58, n. 37; gratuito fieri debet, p. 63, n. 42; quando fit ab habente personalem facultatem, nomina adscriptorum viciniori Confraternitati mittenda sunt, p. 59, n. 38; "*vicinior*„ Confraternitas quomodo intelligenda, *l. c.* in *nota*; defuncti ascribi nequeunt, p. 62, n. 41; bene quidem moribundi, *l. c.*; absentes, *l. c.*

Alanus (B.) de la Roche, restaurator et propagator SS. Rosarii, p. 27, n. 16; p. 47, n. 29; *Quindecim promissiones* a B. M. Virgine B. Alano factae, p. 27, n. 16.

Album inscriptionis. — Vide: **Liber.**

Altare Confraternitatis proprium, p. 85, n. 60; a quo determinandum, p. 86, n. 61; quando, *l. c.*; mutari potest, *l. c.*; commune esse potest pluribus Confraternitatibus, p. 85, n. 60; imago picta vel sculpta SS. Virginis a Rosario in altari ponenda, p. 86, n. 62; altare Confraternitatis est *privilegiatum*, p. 87, n. 63.

Altare privilegiatum. — Vide: **Privilegium altaris.**

Animae in Purgatorio detentae recitatione Rosarii maxime iuvantur, p. 38, n. 23; omnes indulgentiae Rosarii defunctis applicabiles, pp. 168, 183, 184-185, 186.

Aqua benedicta in solemniori benedictione coronarum SS. Rosarii semper adhibenda, p. 193; dum breviori forma utitur ad libitum, p. 193; necesse non est ut ad coronas directe perveniat, n. 95, p. 137.

Archiconfraternitas proprie dicta SS. Rosarii non habetur, p. 47, n. 30; si quae Confraternitates titulo *Archiconfraternitatis* donantur, *honoris causa* hoc factum est, p. 48, n. 30.

"Ave Maria„, origo et historia, p. 11, n. 9; eius efficacia, *l. c.*; est pars essentialis in Rosarii recitatione, p. 4, n. 3; quare tot vicibus in recitatione Rosarii repetitur, p. 13, n. 11; omissio unius vel alterius "Ave Maria„ non officit lucrationi indulgentiarum, p. 160, n. 114.

[1] Prior numerus paginam designat, posterior paragraphum.

Becchi (P.) **Constantius**, restaurator in Italia Associationis Rosarii Perpetui, p. 97, n. 72.

Benedictio Apostolica in articulo mortis confratribus impertienda, p. 181; a quocumque sacerdote impertiri potest, *l. c.;* formula, p. 195.

Benedictio candelarum quid significat, p. 145, n. 104; usus eas benedicendi in honorem SS. Rosarii, p. 145, n. 105; benedici possunt quocumque tempore, p. 147, n. 106; a solis tamen sacerdotibus, facultatem habentibus, p. 146, n. 106; formula utenda, p. 194.

Benedictio coronarum quid importet, p. 133, n. 92; quae indulgentiae applicantur, p. 165; a quo applicari possint, p. 135, n. 94; formula longior, p. 191; formula brevior, p. 193.

Benedictio rosarum in honorem SS. Rosarii, p. 142, n. 101; quid importet, p. 143, n. 102; est benedictio reservata, p. 146, n. 106; rosae naturales esse debent, p. 147, n. 106; quocumque tempore benedictio impertiri potest, *l. c.;* formula adhibenda, p. 193; efficax usus rosarum benedictarum pro infirmis, p. 145, n. 104.

Beneficentiae opera opportune a Confraternitate exercenda, p. 80, n. 57; quomodo antiquitus exercebantur Romae, a Confraternitate S. Mariae supra Minervam, p. 81, n. 57; indulgentiae acquirendae a confratribus qui opera caritatis exercent, p. 181; ab iis qui intersunt processioni quando ex eleemosynis Confraternitatis virgines matrimonio iungendae dotantur, p. 173.

Bona temporalia a Confraternitate possideri possunt, p. 81, n. 57; a quibus administranda, *l. c.*

Candelae benedictae. — Vide: **Benedictio candelarum.**

Cappella Confraternitatis quaenam, p. 84, n. 59; pluribus indulgentiis fruitur, p. 173 et seqq.; quas functiones ibi exercere liceat, p. 88, n. 64.

Cappellanus Confraternitatis quinam dicitur, p. 79, n. 55; distinguitur per se a *Rectore* seu *Directore, l. c.;* eius munera, *l. c.*

Cathedralis ecclesia. — Vide: **Ecclesia cathedralis.**

Chardon (P.) **Augustinus**, restaurator *Rosarii Perpetui* in Gallia, p. 96, n. 71.

Collegiales, quomodo se gerere possunt quoad lucrationem indulgentiarum, p. 161, n. 114.

Communio (S.) ad lucrandas indulgentias requisita, debet esse sacramentalis, p. 163, n. 114; in qualibet ecclesia peragi potest, *l. c.;* potest semper recipi a pervigilio diei cui affigitur indulgentia, *l. c.;* et per totam subsequentem octavam, *l. c.;* una Communio sufficit pro omnibus indulgentiis diei, *l. c.*

Confessio sacramentalis ad indulgentias lucrandas quando necessaria, p. 162, n. 114; an requiratur pro iis qui sunt in gratia, *l. c.;* sufficit ut peragatur intra octo dies qui praecedunt vel subsequuntur, *l. c.*

Confraternitas SS. Rosarii quid importat, p. 44, n. 28; eius origo, p. 45, n. 29; eius erectio, p. 48, n. 31; in quibus locis seu ecclesiis erigi potest, p. 49, n. 32; nonnisi una in quolibet loco, p. 51, n. 32; a quo erigenda, p. 53, n. 34; sub quibus conditionibus, p. 55, n. 35; modus eamdem erigendi, p. 53, n. 34; Pater dominicanus in erectione Confraternitatis praeferendus, p. 54, n. 34; verbale erectionis, p. 55, n. 34; malae erectionis revalidatio, p. 57, n. 36; de uno in alium locum translatio, p. 56, n. 35; Confraternitatis extinctio, p. 56, n. 35; statuta specialia uniuscuiusque Confraternitatis, p. 82, n. 57.

Confratres. — Vide: **Adscripti.**

Consensus *Episcopi.* — Vide: **Episcopi consensus;** *Vicarii Capitularis.* — Vide: **Vicarius Capitularis;** *Vicarii Generalis.* — Vide: **Vicarius Generalis.**

Consilium directivum, quando necessarium, p. 80, n. 57; munia huius consilii, p. 82, n. 58; agit semper sub dependentia Directoris Confraternitatis, p. 82, n. 57.

Conventus menstruus valde utilis ad fovendum fervorem in confra-

tribus, p. 93-94, n. 69; de tempore et modo illum habendi, *l. c.*

Corona SS. Rosarii ex qua *materia* conficienda, p. 140, n. 99; sub qua *forma*, p. 137, n. 95; debet esse quinque, aut decem, aut quindecim decadum, p. 137-138, n. 96; a quo benedicenda, p. 135, n. 94; formula benedictionis *longior*, p. 192; *brevior*, p. 193; an deferenda sit stola, p. 193; indulgentiae concessae iis qui coronam benedictam secum deferunt, p. 172; vel qui Rosarium cum corona benedicta recitant, p. 164; quae indulgentiae uni coronae simul applicari possunt, p. 136, n. 94; casus in quibus coronae benedictae indulgentias amittere possunt, p. 138, n. 96; quomodo corona benedicta religari potest quin indulgentias amittat, p. 139, n. 96; corona benedicta amplius vendi nequit, p. 139, n. 97.

Defuncti quam utiliter Rosario suffragentur, p. 38, n. 23 et p. 104, n. 76; omnes indulgentiae Rosarii, ea solum excepta *in articulo mortis* lucranda, defunctis applicari possunt, pp. 168, 183, 184, 186; dum Rosarium pro defunctis recitatur, trilogiae *Gloria Requiem* substitui potest, p. 3, n. 2; minime tamen defuncti Confraternitati ascribi possunt, p. 62, n. 41; confratres associare possunt defunctos ad sepulturam, p. 81, n. 57; et quidem elevando propriam crucem et cum propriis insignibus, p. 91, n. 67.

Diploma erectionis Confraternitatis a quo obtinendum, p. 51, n. 33; conditiones ordinarie requisitae ut Diploma expediatur, p. 52, n. 33.

Director Confraternitatis quis vocatur, p. 73, n. 51; in ecclesiis Dominicanorum quis est, p. 75, n. 52; in aliis ecclesiis religiosorum, *l. c.*; in ecclesiis clero saeculari concreditis, *l. c.*; Directoris privilegia, p. 79, n. 55; eius munia et obligationes, *l. c.*; utrum et a quo substitui possit, p. 77, n. 54; Cappellanus potest etiam munere Directoris fungi, sed non necessario, p. 76, n. 53; quando Episcopus designare potest Directorem alicuius Confraternitatis iam existentis, p. 76, n. 53.

Dominica prima mensis quaenam dicitur, p. 92, n. 68, in *nota*; processio hac dominica peragenda, p. 89, n. 65; indulgentiae prima dominica mensis acquirendae, pp. 172, 174.

Dominica ultima mensis speciales indulgentiae lucrari possunt a confratribus, p. 164.

Dominicani Rosarium tamquam paternam haereditatem sibi vindicant, p. 29, n. 17; huius iuris recognitio ex parte Ecclesiae, p. 30, n. 18; eorum labor in propagatione SS. Rosarii, p. 29, n. 17; praeferendi in erectione Confraternitatis, p. 54, n. 34.

Dominicus (S.) de Gusman institutor SS. Rosarii, p. 20, n. 14; curandum ut in imagine sculpta vel picta Cappellae SS. Rosarii una cum Beata Virgine repraesentetur, p. 86, n. 62.

Dotes quae antiquitus pauperibus virginibus concedebantur, p. 81, n. 57; indulgentiae pro iis qui, die qua dotes distribuuntur, processioni adsistunt, p. 173.

Ecclesia quaenam dicitur, p. 50, *in nota*; in quibus ecclesiis Confraternitas erigi potest, p. 50, n. 32; excluduntur ecclesiae monialium, et aliarum piarum mulierum, *l. c.*; excluduntur etiam *Oratoria privata* et etiam *semipublica*, *l. c.*; quas functiones in ecclesia propria Confraternitatis exercere liceat, p. 88, n. 64; promovenda in ecclesiis publica recitatio Rosarii, p. 74, n. 52; quando obligatoria, p. 42, n. 27; quae indulgentiae a visitantibus ecclesiam Confraternitatis acquiri possint, p. 173 et seqq.

Ecclesia Cathedralis specialem habet obligationem quoad quotidianam recitationem SS. Rosarii, p. 43, n. 27; ad erigendam in ipsa Confraternitatem requiritur consensus Capituli, p. 52, n. 33.

Ecclesia Paroecialis tenetur ad recitationem hebdomadariam Rosarii, p. 42, n. 27.

Episcopi consensus necessarius pro

erectione Confraternitatis, p. 55, n. 34; potest aliquando Episcopus designare directorem Confraternitatis iam existentis, p. 76, n. 53; ius est Episcopi approbare *Statuta* Confraternitatis, p. 83, n. 58; *item* iudicare de opportunitate transferendi recitationem SS. Rosarii in alium mensem, qui non sit mensis octobris, p. 127, n. 87.

Erectio Confraternitatis. — Vide: **Confraternitas.**

Extinctio Confraternitatis, p. 56, n. 35.

Facultas erigendi Confraternitatem a quo obtinenda, p. 51, n. 33; adscribendi Confraternitati, p. 59, n. 38; benedicendi coronas, p. 135, n. 94; benedicendi rosas vel candelas, p. 146, n. 106; impertiendi Benedictionem Apostolicam *in articulo mortis*, p. 195.

Festum SS. Rosarii a quo tempore celebratur, p. 120, n. 84; qua occasione ortum habuit, *l. c.*; indulgentia plenaria *toties quoties* ad modum *Portiunculae*, p. 124, n. 85; aliae indulgentiae infra octavam, p. 167; quid de indulgentiis si Festum transferatur, p. 160, n. 114; processio solemnis die Festo peragenda, p. 89, n. 65.

Generalis Magister Dominicanorum est supremus moderator devotionis SS. Rosarii, p. 30, n. 18; ab ipso Diploma erectionis Confraternitatis obtinendum, p. 51, n. 33; *item* facultatem benedicendi coronas, candelas, rosas, p. 146, n. 106; *item* adscribendi Confraternitati, p. 59, n. 38.

"**Gloria Patri**,, quando in liturgia introductum, p. 3, n. 2; non est pars essentialis in recitatione Rosarii, *l. c.*; convenientissime tamen recitatur in fine cuiusque decadis, *l. c.*; substitui potest a *Requiem* dum defunctis Rosarium applicatur, *l. c.*

Hora continuae orationis ab adscriptis *Rosario Perpetuo* peragenda, p. 102, n. 74; modus eam perficiendi, p. 103, n. 75; indulgentiae, p. 183 et seq.

Iaculatoriae preces quae et quando in recitatione Rosarii adiungi possunt quin amittantur indulgentiae, p. 4, n. 3; p. 12, n. 9, in *nota*; numquam sunt partes essentiales, p. 4, n. 3.

Iesus nomen. — Vide: **Nomen Iesus.**

Imago B. M. V. a Rosario necessario ponenda in Altari seu Cappella Confraternitatis, p. 86, n. 62; picta vel sculpta, *l. c.*; ipse S. P. Dominicus una cum B. Virgine repraesentandus, p. 86, n. 62.

Index Indulgentiarum SS. Rosarii nunc vigens, p. 155, n. 112; de singulis indulgentiis, p. 164 et seqq.

Indulgentiarum notiones generales, p. 148, n. 107; species indulgentiarum, p. 152, n. 110; conditiones ad eas acquirendas, p. 157, n. 114; indulgentiae Apostolicae, p. 136, n. 94; Crucigerorum, *l. c.*; S. Birgittae, *l. c.*; Coronae Hispanicae, *l. c.*

Indulgentiarum SS. Rosarii Index seu Catalogus, p. 164 et seqq.; pro omnibus fidelibus, p. 164; pro solis adscriptis Confraternitati, p. 169; pro adscriptis *Rosario Perpetuo*, p. 183; pro adscriptis *Rosario Viventi*, p. 185; conditiones ad eas acquirendas, p. 157, n. 114; sunt semper applicabiles defunctis, pp. 168, 183, 184-185, 186.

Infirmi confratres quomodo indulgentias SS. Rosarii lucrari possunt, p. 176; indulgentiae iis concessae qui infirmos confratres visitant, p. 180.

Inscriptiones in libro Confraternitatis. — Vide: **Adscriptio.**

Ioseph (S.) mense octobri speciali oratione venerandus dum in ecclesia recitatur Rosarium, p. 127, n. 86.

Jaricot Paulina fundatrix Rosarii Viventis, p. 106, n. 77.

Leonis XIII indefessor propagator SS. Rosarii, p. 29, n. 16; elenchus Encyclicarum aliorumque documentorum huius Pontificis circa Rosarium, p. 199, in *nota*; Constitutio "*Ubi primum*,, circa Confraternitatem, p. 198.

Liber esse debet pro inscriptionibus confratrum, p. 58, n. 37; quomodo nomina adnotanda, p. 61, n. 39; a quo, p. 59, n. 38; sufficit nomen, p. 61, n. 39.

Litaniae Lauretanae non sunt pars essentialis in recitatione Rosarii, p. 4, n. 3; convenientissime tamen recitantur, *l. c.*

Magister Generalis Dominicanorum. — Vide: **Generalis Magister.**

Martini (P.) **Petronius** promotor Rosarii Perpetui, p. 95, n. 71; minime vere institutor, *l. c.*

Meditatio Mysteriorum. — Vide: **Mysteriorum Meditatio.**

Mensis Sacratissimi Rosarii est october, p. 126, n. 86; recitatio Rosarii mense octobri an sit adhuc obligatoria, *l. c.;* Episcopus eam transferre potest ad alium mensem, p. 127, n. 87; modus observandus in hac recitatione, p. 126, n. 86; indulgentiae lucrandae, 168.

Missa "**Salve Radix**„ Dominicanis propria, quando legi potest, p. 129, n. 89; sub quo ritu, p. 131, n. 90; in quo altari, p. 129, n. 89; indulgentiae lucrandae, p. 178.

Missa votiva de Beata quando legi potest a sacerdotibus confratribus, p. 130, n. 90; in quo altari, p. 129, n. 89; indulgentiae lucrandae, p. 178.

Moniales quomodo supplere possunt, ad indulgentias lucrandas, visitationem ecclesiae Confraternitatis, p. 176; in eorum ecclesiis Confraternitas erigi nequit, p. 49, n. 32.

Moribundi ascribi possunt Confraternitati SS. Rosarii, p. 63, n. 41; speciales indulgentiae pro moribundis, p. 181.

Mortui. — Vide: **Defuncti.**

Mysteriorum meditatio essentialis in recitatione Rosarii, p. 4, n. 3; modus eam perficiendi, p. 7, n. 6; modus eam supplendi a rudibus, *l. c.;* mysteriorum ordo inter se, p. 5, n. 4; secundum dies in hebdomada, p. 6, n. 4.

Nomen confratrum. — Vide: **Adscripti.**

Nomen Iesus in recitatione *Ave Maria* quando insertum, p. 11, n. 9; indulgentiae lucrandae a confratribus quando profertur recitando Rosarium, p. 170.

Nomina devotioni SS. Rosarii tributa, p. 15, n. 12; nomen proprium est *Rosarium, l. c.;* significatio mystica huius nominis, p. 17, n. 13.

Oblationes sponte factae ab adscriptis in favorem Confraternitatis sunt licitae, p. 63, n. 42; minime vero in favorem adscribentis, *l. c.*

Obligationes adscriptorum Confraternitati, p. 67, n. 46; nulla obligatio sub peccato, p. 72, n. 50; de hebdomadaria recitatione Rosarii, *l. c.*

October mensis Rosario dicatus. — Vide: **Mensis Rosarii.**

Opera beneficentiae. — Vide: **Beneficentiae opera.**

Oratorium *publicum* quodnam dicatur, p. 50, in *nota;* quodnam *semi-publicum*, aut *privatum, l. c.;* in oratorio *publico* Confraternitas erigi potest, p. 50, n. 32; minime in oratorio *semi-publico* aut *privato, l. c.*

Pagella adscriptionis utilis, sed non necessaria, p. 61, n. 39; pro expensis pagellae poterit adscribens aliquid petere ab adscripto et pro se retinere, p. 63, n. 42.

Parochus pro tempore in ecclesiis paroecialibus opportune designatur tamquam Director Confraternitatis, p. 76, n. 53; excipe, si ecclesiae sint Dominicanorum, p. 76, n. 53, in *nota.*

Paroecialis Ecclesia. — Vide: **Ecclesia paroecialis.**

"**Pater noster**„ a quo originem ducit, p. 8, n. 7; eius excellentia, *l. c.;* est pars essentialis Rosarii, p. 4, n. 3; commentarium S. Thomae, p. 9, n. 7.

Peccatores recitatione Rosarii maxime iuvantur, p. 38, n. 23; utrum indulgentias lucrari valeant, p. 158, in *nota.*

Pius (S.) **V**, sacratissimi Rosarii vere devotus, p. 121, n. 84; invocationem "Auxilium Christiano-

rum „ Litaniis Lauretanis inserendam decrevit, *l. c.*

Preces quaenam adiungi possunt, sine detractione indulgentiarum, in recitatione Rosarii, p. 4, n. 3; p. 12, n. 9, in *nota;* iaculatoriae preces non sunt essentiales in Rosario, p. 4, n. 3.

Privilegia adscriptorum Confraternitati, p. 64, n. 43; fiunt participes omnium spiritualium bonorum Ord. S. Dominici, p. 66, n. 44; quoad recitationem Rosarii, p. 69, n. 47.

Privilegium altaris in quo consistat, p. 88, n. 63; an et quando conveniat altari proprio Confraternitatis, p. 87, n. 63.

Processio SS. Rosarii prima dominica mensis, p. 89, n. 65; fieri potest, quin sit obligatio permissionem petendi a Parocho, p. 91, n. 67; indulgentiae, p. 172.

Promissiones quindecim a B. M. Virgine B. Alano factae, p. 27, n. 16, in *nota*.

Purgatorium. — Vide: **Animae in Purgatorio.**

Quindecim Promissiones B. M. V. — Vide: **Promissiones.**

Quindecim Sabbata in honorem B. M. Virginis a Rosario a quo originem ducunt, p. 113, n. 80; in quo praecise consistant, p. 112, n. 80; duplex methodus hanc devotionem peragendi, p. 116, n. 81; transferri possunt ad diem dominicam, p. 116, n. 81; semper tamen sine interruptione, p. 120, n. 83; indulgentiae pro omnibus fidelibus, p. 166; pro confratribus, p. 177; dubia quaedam soluta, p. 119, n. 83.

Recitatio Rosarii quando obligatoria pro confratribus, p. 68, n. 47; quando, etsi non stricte obligatoria, in ecclesia cathedrali, p. 43, n. 27; in ecclesiis paroecialibus, p. 42, n. 27; in aliis ecclesiis, p. 43, n. 27; in familia, p. 41, n. 26; coram SS. Sacramento, p. 165; conditiones ad bene recitandum Rosarium, p. 33, n. 20; separari potest una decas ab aliis, p. 39, n. 24; indulgentiae pro omnibus fidelibus, p. 164 et seqq.; pro confratribus, p. 169 et seqq.

Rector. — Vide: **Director.**

" Requiem „ substitui potest *Gloria Patri*, dum Rosarium recitatur pro defunctis, p. 3, n. 2.

Revalidatio Confraternitatis illegitime erectae, p. 57, n. 36; resolutiones quorumdam casuum, *l. c.*

Ricci (P.) Timotheus est verus fundator Rosarii Perpetui, p. 95, n. 71.

Rosae benedictae in honorem SS. Rosarii. — Vide: **Benedictio rosarum.**

Rosarium quid est, p. 1, n. 1; partes essentiales, p. 4, n. 3; nomina varia huic devotioni tributa, p. 15, n. 12; origo et historia devotionis, p. 20, n. 14; efficacia ad repellendas haereses, p. 26, n. 15; vel propagandam fidem, *l. c.;* de Rosarii recitatione, methodus, p. 33, n. 20; conditiones ad bene recitandum Rosarium, *l. c.;* indulgentiae, p. 164, 169.

Rosarium Perpetuum in quo consistit, p. 94, n. 71; eius origo et historia, *l. c.;* duplex methodus organizationis, p. 97, n. 72; conditiones essentiales pro indulgentiis, p. 102, n. 74; de modo horam peragendi, p. 103, n. 75; indulgentiae propriae, p. 183; intentiones propriae in recitatione Rosarii, p. 103, n. 76.

Rosarium Vivens in quo consistit, p. 105, n. 77; eius origo et historia, *l. c.;* utilitas, *l. c.;* approbatio S. Sedis, *l. c.;* methodus organizationis, p. 107, n. 78; indulgentiae propriae, p. 185.

Sabbatum est dies iam ab antiquitate B. M. Virgini dicatum, p. 114, n. 80; devotio *Quindecim Sabbatorum* quando incepit, *l. c.;* in quo praecise consistat, p. 112, n. 80; duplex methodus, p. 116, n. 81; transferri potest etiam ad Dominicam, *l. c.;* semper tamen sine interruptione, p. 120, n. 83; indulgentiae pro omnibus fidelibus, p. 166; pro confratribus, p. 177; dubia quaedam solvuntur, p. 119, n. 83.

Saccum an et quando a confratribus deferri possit, p. 67, n. 45; p. 91, n. 67.

"**Salve Radix**,, **Missa** privilegiata SS. Rosarii, quando legi potest, p. 129, n. 89; indulgentiae ipsi adnexae, p. 178; eam legere possunt etiam sacerdotes tertiarii dominicani, qui fruantur privilegio utendi Missali dominicano, p. 129, n. 89.

"**Salve Regina**,, non est pars essentialis in recitatione Rosarii, p. 4, n. 3; convenientissime tamen recitatur, *l. c.*; indulgentiae pro iis qui assistunt dum cantatur quibusdam in circumstantiis, p. 179.

Sorores quomodo se gerere possunt quoad lucrationem indulgentiarum, p. 176; in eorum ecclesiis Confraternitas SS. Rosarii erigi nequit, p. 49, n. 32.

Sprenger (P.) **Iacobus** propagator indefessus SS. Rosarii, p. 28, n. 16; p. 47, n. 29.

Stationes romanae quid sunt, p. 177; quando occurrunt, *l. c.*; indulgentiae adnexae, *l. c.*

Status gratiae ad lucrandas indulgentias, p. 159, n. 114.

Statuta Confraternitatis SS. Rosarii, p. 82, n. 57; conditiones observandae in redactione Statutorum, p. 83, n. 58; approbari debent ab Episcopo, *l. c.*

Stola deferenda ad libitum in benedictione coronarum cum formula breviori, p. 193; semper deferenda in benedictione candelarum, rosarum, et etiam in benedictione coronarum dum utitur formula longiori, p. 192, 193, 194.

Summarium Indulgentiarum SS. Rosarii, p. 164 et seqq.; quando editum, p. 154, n. 112.

Suppressio Confraternitatis quando locum habere potest, p. 56, n. 35; cuius auctoritate, *l. c.*

Tabula picta vel sculpta B. M. a Rosario in cappella seu altari Confraternitatis, p. 86, n. 62; quid in ea repraesentari debeat, *l. c.*; antiquae tamen imagines auferendae non sunt, ut novae substituantur, *l. c.*

Tempus debitum pro lucratione indulgentiarum, p. 160, n. 114.

Tertiarii Dominicani sacerdotes gaudentes privilegio utendi Missali dominicano legere possunt Missam "Salve Radix,,, p. 129, n. 89.

Translatio Confraternitatis ab una ecclesia ad aliam, p. 56, n. 35; ab una cappella ad aliam, *l. c.*

Translatio Indulgentiarum de uno ad alium diem, p. 160, n. 114.

Verbale erectionis Confraternitatis semper redigendum, p. 55, n. 34; quomodo redigendum, *l. c.*; unum exemplar remittendum Magistro Generali Dominicanorum, *l. c.*

Vicarius Capitularis non potest consensum exprimere pro erectione novae Confraternitatis, p. 53, n. 33; item, quoad approbationem *Statutorum*, p. 83, n. 58.

Vicarius Generalis consensum dare nequit, nisi sit specialiter delegatus, pro erectione alicuius Confraternitatis, p. 53, n. 33; neque approbare *Statuta*, p. 83, n. 58.

Visitatio ecclesiae propriae Confraternitatis, vel cappellae, vel altaris quando requisita pro acquisitione indulgentiarum, p. 167, 173, 178; tempus et modus eam perficiendi, p. 161, n. 114; quomodo pro monialibus atque sororibus in communitate viventibus, p. 161, n. 114 et p. 176; item, quomodo pro adscriptis Associationibus catholicis, *l. c.*; vel pro degentibus in Collegiis, *l. c.*; quid de visitatione ad indulgentiam *toties quoties*, in Festo SS. Rosarii lucrandam, p. 125, n. 85.

Acc. 5451 232.931.9
Lodovico Guiseppe, F15

~~Fanfani, L.I., O.P.~~ 1876-1955

AUTHOR

De Rosario B. M. Virginis

TITLE